MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80206-12

AUTHOR:

TCHORZEWSKI, CLEO-
TILDUS VALERIANUS

TITLE:

DE POLITIA, TIMAEO,
CRITIA, ULTIMO...

PLACE:

KAZANI

DATE:

1847

Master Negative #

91-80206-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Tchorzewski, Cleotildus Valerianus

De Politia, Timaeo, Critia, ultimo Platonico ternione, librorum De legibus praecipua ratione habita, disseruit... publice defendet Cleotildus Valerianus Tchorzewski... Kazani, 1847.
xii, 188 p. 22 cm.

Thesis, Kasansk.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/23/91 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

POLITIA TIMAEO CRITIA,

ULTIMO PLATONICO TERNIONE,

LIBRORUM DE LEGIBUS

PRAECIPUA RATIONE HABITA,

DISSERUIT

ET

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

CAESAREA LITTERARUM UNIVERSITATE

KAZANENSI

GRADUS

DOCTORIS PHILOSOPHIAE

RITE OBTINENDI CAUSA

PUBLICE DEFENDET

Cleotildus-Valerianus Tchorzewski

phil. mag.

KAZANI.

1847.

Перепечатано изъ 2-й книжки Ученыхъ Записокъ за 1847 годъ.

VIRO EXCELENTISSIMO

VLADIMIRO MOLOSTOW,

UNIVERSITATIS CAESAREAE KAZANENSIS

CURATORI

ILLUSTRISSIMO.

ETC. ETC. ETC.

Libellum hunc

D. D. D.

AUCTOR.

L. S.

Cum ante hosce duos tresve annos, de Ecclesiazusarum didascalia commentati ([1]), in consilium ac finem fabulae, in qua Platonis Civitatem tangi et nonnullos viros doctos statuere vidimus, et ipsi quidem nobis persuasimus, inquireremus: factum est, ut Aristophane auctore ad Platonem nos conferremus. Quo in negotio idem fere nobis contigit, quod de Atheniensi quodam juvene memoriae proditum est. Hic enim, cum et unguentis et vino madidus, domum e Bacchanalibus repetens, Academiae forte patentem januam intrasset: impransi, dicitur, magistri voce correptus, coronas furtim capite carpsisse, totumque sese illi, ad quem deridendum venerat, discipulum tradidisse. Sic prope nos, Aristophaneis lautitiis delibuti, non alio primum animo Platonem petivimus, quam ut inde cupediarum

---

([1]) Commentationem *de Aristophanis Ecclesiazusis*, pro Magisterio a. 1843 conscriptam, in qua nunquam satis diu nos immorari posse arbitramur, deinceps prelo tradere constituimus; non, quo doctorum tentaremus lacertos, sed ad velitum solummodo vernaculam cohortem e tentoriis provocandam. Hanc, si Dis placebit, excipiet, si modo ei, in tabulario Academico nescio ubinam gentium latenti, philobiblae blattae ac tineae hactenus forte pepercerint, *in Solonem Atheniensem diatribe*; quam scriptiunculam, pro Candidatura concinnatam, jam a. 1842 amplissimum Universitatis nostrae Consilium, quo scilicet contubernalium suscitarentur studia, typis excudi decreverat.

aliquid surriperemus, quo majore quidem nobis jure Comicus in eum sua de plaustro sparsisse crederetur. Accidit tamen, ut e longinquo jam Academiae hortulis prospectis, ille terrarum nobis praeter omnes angulus arrideret. Quid vero nos ad Platoni prae ceteris toto pectore operandum ita commoverit: etsi id, fortasse, a nonnullis, nisi arrogantiae cuidam nostrae dabitur, certe illiberalius et Platone minus dignum, aut saltem ἀπροσδιόνυσον judicabitur, juvat profiteri.

Communi, quantum scio, gnarorum Plato perhibetur ore omne in philosophia Graeca tulisse punctum, non nisi pressius deputandi et, quae ipse inchoaverat, perficiendi partibus Aristoteli derelictis. Quin itaque propter philosophicam jam sylvam cuilibet exquisitioris doctrinae haud experti sedulo legendus sit Noster, a nemine, certe, sine injuria dissuaderi potest. Attamen pollet ille aliis praeterea peculiaribus sibi dotibus, quae, quamvis elegantioribus scilicet hominibus pensi, fortasse, non ita habeantur: nihilominus tamen diurna nocturnaque manu Platonem, ipso postposito Stagirita, iis volvendum commendant, quibus studiosae juventutis emolumenta aut sint praecipuae curae, aut esse aliquando queant.

Huc imprimis vocanda est in censum eximia illa Platonicae philosophiae dignitas, propter quam Plato, cum ab ethnicis tantum non divino cultus est honore, tum a christianis plerisque omnis aevi doctoribus proximas Sacrae Scripturae tenere creditus [1]. Ecquis est, profecto, nisi is septemplex, hercle, aes circa pectus habeat, qui non sublimiori incalescat spiritu, dum ubique apud Platonem legat, hunc esse summum vitae nostrae finem, ut, philosophiae ope, e tenebris hisce evehamur, unde delapsi sumus, ad ipsius veritatis exemplar — ad Deum; in quo contemplando qui rite versetur, fieri non posse, quin ei similis evadere omni opera studeat. Ex hac vero similitudine cum singulorum hominum felicitatem esse suspensam, tum totius civitatis salutem ea maxime contineri [1].

Attamen placita haec, quibus universa divini viri ratio perfusa nitet, utut sint grandia atque excelsa, nihilominus tamen

[1] Testimonia rei in propatulo sunt, neque amplius ligni in silvam congerere vacat. Ex recentioribus, qui hoc argumentum sibi tractandum sumpserunt. v. in *Progr. Acad. Götting.* 1819. Staeudlin, *Quaeritur de philosophiae Platonicae, cum doctrina religionis iudaica et christiana cognatione*; Grotefend, *Commentatio, in qua doctrina Platonis ethica, cum christiana comparatur ita, ut utriusque tum consensus, tum discrimen exponatur.* Gottingae 1821, 4. Quos confer cum egregio libro Ackermanni, *Das Christliche im Plato*, Hamb. 1835. p. 1—20. Cf. eund. p. 323 «Bezwecken konnte Plato wohl das Heil des Lebens, doch nicht bewirken! Ein reineres Erkenntnisslicht des Ewigen und Schönen als das der Platonischen Philosophie hat dem heidnischen Leben nicht geleuchtet. Aber das Leben selbst zu seyn, war diesem Lichte nicht gegeben (Ioh. I, 4). Und das mit Schmach bedeckte Kreuz auf Golgatha ist doch eine herrlichere und triumphirendere Theodicee, als das grossartige Bild von der durch Gott verklärten Welt im Geist des griechischen Weisen!»

[1] Tennemann. *System der Plat. Philos.* Vol. I, p. 205, sqq. Ritter, *Histoire de la Phil.* trad. par *Tissot.* Paris 1836. T. II, p. 149, sqq. Van Heusde, *Initia Philosophiae*

fascinarent potius ac praestringerent animum, quam componerent, si iis ita, ac si Numinis alicujus afflatu de tripode essent prolata, legentium obstreperentur aures. Verum enim vero, tantum abest, ut Plato exsistat auctor ventosae illius atque contumacis pansophorum magniloquentiae, qui, ut cum ipso loquar, velut aes percussum alte resonant longeque vociferantur, neque id agunt, ut veritatem quaerant, sed quidquid in buccam venerit, effutientes, pro mero auro id credulae plebeculae venditent: ut vehementissime, e Socratis persona, eos insectetur. Videmus igitur Platonem, neutiquam placita sua aliis obtrudere;

Platonicae Ed. altera. Lugd. B. 1842. p. 316, sqq. 366, sqq. 382, sqq 441, sqq. Wehrmann, *Platonis de summo bono doctrina.* Berol. 1843. p. 98, sqq. Egregie Ackermann, l. l. p. 131. «Wir Deutschen [neque nos, Slavi, sumus ita prorsus talpae luminibus captae] haben von Haus viel Sinn für's Ernste und Moralische. Und so ist denn der sittliche Ernst des Plato wohl ganz besonders geeignet, wohlthuend auf uns zu wirken.» et quae seq. Cf. p. 133. «Und ist es denn blos die treue Abspiegelung eines rein menschlichen Gefühls, was diesem Dialog [Phaedro] die innere Wahrheit giebt, mit welcher er unser Gemüth anspricht? Weckt er denn nicht einen Ton in unsrer Brust, der zwar oft lange schläft, ja zuweilen für immer in unserm Innern verklungen zu seyn scheint, der aber, einmal angeregt, nicht blos das ganze innere Leben fort und fort durchzieht, sondern auch als der Grundton unsrer Seele und unsres wahren Wesens in freudiger Gewissheit von uns anerkannt wird? Die Seele hört so gern von ihrem himmlischen Ursprung erzählen; und sie weiss und fühlt auch, sobald man ihr nur auf die rechte Weise davon erzählt, dass diese Rede die lauterste Wahrheit sey, wie poetisch und mystisch sie auch sonst klingen mag!»

sed, quid verum sit, sermonibus arte miscendis, tum cernendo jungendoque, e parturientibus ingeniis elicere atque extorquere, idque ita, ut quid tandem quaerendo fuerit inventum, plerumque lectoribus ipsis dijudicandum relinquat (¹). Hoc vero summo dialectico artificio quantum indagandi sollertia acuatur atque exerceatur, quis est, qui non sentiat?

Vacuus est praeterea Plato — quod haud scio vitione vertam, an in virtutibus potius ponam (²) — a jejuna illa et tristi disserendi sobrietate, qua dum interdum magna laborant ingenia, ipsa eorum subtilitas nauseam creat, ipse vigor legentes obtundit atque obruit. Etenim ille non intelligendi solum, ut Tullianis verbis utar, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister, cum in adornanda dialogorum scena, in depingendis eorum personis, in moderandis festivissimis sermonibus, poëtico quodam niteat splendore et ubertate: facile inde evadit, ut, qui

---

(¹) Schleiermacher, *Platons Werke.* 2 Ed. T. I, Einl. p. 17, sqq. Stallbaum, *Disputatio de Platonis vita, ingenio et scriptis* (praemissa Plat. dial. sel. in Vol. XI, Sect. I, *Bibliothecae Graecae* a Jacobsio et Rostio conditae), p. XXXIX, sqq. Heusde, l. l. p. 236, sqq. Non mirum itaque, si nonnunquam obesioris nasi philosophis Plato consulto tenebricose disputare, imo nonnullis etiam parum sibi ipse constare est visus. Cicero, *Acad. quaest.* I, XII, 46.... *Platonem......cujus in libris nihil affirmatur, et in utramque partem multa disseruntur: de omnibus quaeritur, nil certi dicitur.* Numenius ap. Euseb. *Praep. Evang.* XV, 5. p. 728, D. Cf. Tennemann, l. l. T. I, p. 128, sqq. Ast, *Platon's Leben u. Schriften* p. 39, sqq.

(²) Fuerunt jam inter antiquos, qui criminarentur, Platonem curiosius esse sectatum verborum elegantiam, quam sententia-

eum paullo diligentius tractent, eorum ille animos suis lenociniis sensim sensimque demulceat, oblectet, trahat, ac tum sua jam sponte ad altiora magisque ardua educat (*).

Sunt etiam alia, quibus Plato mirifice commendetur. Huc maxime pertinet, quod ille eximiam, qua pollet, sapientiam, non scholasticis umbris ac parietibus includit, sed eam in ipsius quasi fori frequentia rimatur. Ita, ut, si eum κατόπισθε μετ᾽ ἴχνιον ὥστε θεοῖο prosequaris, non solummodo divinarum humanarumque rerum cognitione auctum te esse sentias; sed simul etiam in splendidissima Athenarum luce, quae Graeciae lumen merito cluebant, versando, imo totam Graeciam, feracem illam ingeniorum matrem, peragrando, fieri nullo modo possit, quin accuratiorem universae antiquitatis Graecae notitiam tibi contrahas. Quam virtutem quum Plato cum Aristophane communem habeat, videtur tamen nobis Aristophanes in Athenarum sacram arcem per posticam quasi januam, ne latrinas dicam, le-

rum veritatem (Dionys. Halicarn. *de admir. vi dic. in Demosth.* T. VI. p. 964, 972, 1032, 1034. Ed. Reisk.); quibus credidit Meiners, *Geschichte d. Wissensch. in Griech. u. Rom.* T. II, p. 691, sqq. Sed v. Ast. l. l. p. 35, sqq. Ackermann. l. l. p. 126, sqq., ut alios taceam.

(*) Quanta sit Platonis urbanitas et lepor, inde jam colligere est, quod, referente Plutarcho (*Quaest. Symp.* VII, 8. p. 711, sqq.), Romani adhibuerunt nonnullos Platonicos dialogos, in locum scurrilium mimorum, inter conviviorum acroamata, una cum Sapphone, Anacreonte, Menandro; nimirum, ut, accumbentibus juxta uxoribus et liberis, cum Plato a pueris agendo recitaretur, et aures ob-

gentes introducere; cum Plato ipsa earum atria sanctissimaque penetralia aperiat. Quemadmodum itaque Plato sine accuratiore antiquitatis Graecae scientia probe legi atque intelligi non possit; ita vix ulla nobis ad antiquitatem Graecam cognoscendam magis apta reperiri posse videtur via, quam quae per Academiae augustos ridentesque hortulos ducat.

Quae omnia cum ita sint, haud equidem scio, an quis in doctorum reprehensionem incurret, si, quem, Cicerone teste, Panaetius omnibus locis divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellabat; quem ipse Cicero, Panaetii alumnus, philosophorum quendam Deum vocare non est veritus; cui tota fere Antiquitas in philosophorum ac rhetorum palaestris enixo operata est studio; si quis hunc, inquam, unum omnium maxime sibi expetendum elegerit, atque eo, si quo alio, dextimo duce etiam nunc ad ingenuos juvenes ingenuis artibus erudiendos uti nos posse asseverare ausit. Adeo, ut verear, ne soli misologi, aliique id genus tenebriones, refra-

lectaret, et mores simul componeret conformaretque. *Itaque video*, inquit Cicero (*Orat.* c. 20), *visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quam comicorum poetarum.* Cf. K. Fr. Hermann, *Geschichte und System der Platonischen Philosophie.* Heidelb. 1839. Libr. I, N. 56. De dramatica dialogorum Pl. indole, quam maxime e Sophronis mimis expressisse dicitur, v. Menag. *ad Diog. Laërt.* III. 18. Ast. l. l. p. 44, sqq. Stallbaum. l. l. p. XXV, sqq. Heusde l. l. p. 95, sqq. 180, sqq.

gentur gravissimae voci celeberrimi Heusdii (1): *ut philosophia ex scholae angustiis prodeat, atque generi humano ut possit prodesse, philosophos oportere rite esse in schola eruditos, Socratis maxime et Platonis institutione.* Quod jam ante Heusdium senserunt amplissimi juventutis humanioribus litteris excolendae antistites: Ruhnkenius, Wyttenbachius, Fischerus, Chr. Beckius, ut alios taceam. Jam vero quam laetos segetes satio ista tulerit, in clarissimis eorum discipulis cerni potest.

At cum alios plerosque advocare videamus Platonem egregium proxenum ad liberalem disciplinam juvenibus conciliandam, tum, quemnam, quaeso, gentium magis ad eum confugere oporteat, quam nos, qui non admodum, hercle, humanioribus opibus affluere perhibeamur? — Germaniam decorant Schleiermacheri, Astii, Stallbaumii, Hermanni, aliique Platonis doctissimi patroni atque interpretes; monstrat et Gallia et Britannia sua lumina; neque transmontani Itali, non dico jam antiquos illos Ficinos,

(1) *Initia Ph. Pl.* p. 117, 576. Cf. Id. *Epistola ad Creuzerum* s. f. «*Cum ego ante hos duodetriginta annos* [scripsit hoc Heusdius a. 1825.] *Amstelodamum venirem, mirabatur vir summus* [Wyttenbachium intelligit], *adire ipsum adolescentem Platonis legendi cupidum. Nunc in Academiis nostris et Athenaeis non tantum lectiones habentur Platonicae, frequentes discentium numero, sed jungunt etiam sua sponte juvenes sodalitia, in quibus Platonem legant et interpretentur. Eduntur identidem specimina litteraria, cum alia de antiquis scriptoribus et historiae philosophicae argumentis, tum Platonica, quae conscripta a tironibus veteranis haud videantur indigna*».

Musuros, Bembos, sed etiam recentioribus temporibus Platoni operam navare desistunt; imo ne ipsi quidem Syri atque Hebraei Platonicarum venerum rudes esse feruntur (1): quid vero a nobis, quid a ceteris Slavici nominis gentibus Platoni consultum sit, non facile respondebis. Dixeris quidem, apud Ros-

(1) Quae apud *exteros* facta sint, invenies pleraque omnia insigniora apud S. Hoffmannum, *in Lexico Bibliographico* Vol. III, Lips. 1836. s. v. *Plato;* item apud Karpovium, in limine *Versionis Opp. Pl.* deinceps laudandae. His adjicias, qui ap. H. desiderantur, Heusdiani operis non semel jam nobis memorati *2-m Ed.*, nec non probatissimum librum discipuli ejus De Geer: *Diatribae in Politices Platonicae principia.* Traj. ad Rh. 1810. Nefas est praeterire Caroli Frid. Hermanni, viri clarissimi, cum alia nonnulla minora, quae Platonem spectant, tum maxime ejus *Historiam Philosophiae Platonicae,* quam supra jam nominavimus. Nec sunt tacendi: Zeller, *Platonische Studien.* Tübing. 1839 (Zelleri tamen *Hist. philos. graecae,* — cujus *alterum volumen,* Tubingae 1845 editum, Socratem, Platonem, Aristotelem comprehendit — nondum accepimus); A. Jahnius, *Dissertatio Platonica de causa et natura mythorum Platonicorum.* Bernae. 1839. Lubentissime praeterea videremus in Indice Karpovii Schneideros, Trendelenburgios, Groen v. Prinstereros, ceterosque plurimos egregios Platonis cultores, surrogari in locum Van-Eysiorum, Regiorum, aliorumque beatae memoriae virorum. — Proximo praeterito anno prodiit etrusca lingua *Plato compendiatus et commentatus* a L. M. Capulejo (v. Götting. Anz. 2 Jun. 1845). — Franco-Gallos verbo attigisse juvat. — Ex Anglicis adspergam modo, quae proximo praeterito anno lucem adspexerunt: Levis, *Plato against the Atheists, or the tenth book of the dialogue on Laws, accomp. with crit. notes and fellowed by extended Dissert. on some of the main points of the Platonic phil. and theol. especially as compared with thy Holy Script.* Nev-York. 1845. Potter, *Characte-*

sos coepta jam poni Platonicorum studiorum rudimenta Karpovii palmaria conversione ([1]); attamen subit quaerere cum Persio, quis leget haec? — Aut nemo, aut pauci; certius nemo, quamdiu cum litteris graecis res apud nos sic sese habebit, quemadmodum nunc se habet. Quotus enim quisque in universo Rossorum orbe — exceptis, quorum officii est antiqua volumina vertere — ita moratus invenitur, ut conspecto in libri titulo graeculi homuncionis nomine, librum hunc ceu pestem aliquam non aversetur ac respuat? Ut itaque Plato legatur, non dicam jam graecus, verum etiam rossicus, atque ex lectione hac, veluti ex sacro quodam fonte, liberalior institutio, nec non severior etiam doctrina, ut manet: muniatur, necesse est, primum ad Platonem via; excutiatur primum de animis inveteratus ille antiquarum

ristics of the Greek philosophers, Socrates and Plato. London. 1845.—De Arabibus, Persis, Syris, Hebraeis, v. Fabricii *Bibl. Gr.* Ed. *Harles.* T. III, p. 137.

([1]) *Сочиненія Платона перев. съ Греческаго и объяснены Карповымъ. Часть I.* (Protag. Euthyd. Laches.), Спб. 1841. *Часть II.* (Charm. Euthyphr. Meno. Apolog. Crito.) Ibid. 1842. Platonis XXV dialogos a Pachomovio in *Slavo-rossicum* sermonem translatos non inspeximus. Redditae praeterea sunt rossice, jam 1827, Mosquae, *Leges*, inter Platonicos libros non facile praestantissimus, ab Obolenskio; qua occasione Jeżowski nostras, qui tunc apud Mosquenses litteras graecas profitebatur, inseruit in Ephem. Mosq. doctam sane et laboriosam commentationem de opera in Platonem aut posita aut ponenda; quam postea edidit peculiari libello, vernacula lingua conscripto: *O postępie badań filologicznych we względzie pism Platona, przez Józefa Jeżowskiego.* Moskwa. 1829. Anonymi, *объ идеяхъ Платона*, in «Москвитянинъ» 1843, N° 4. promissum finem nondum vidimus. Sperandum est K. Hofmanum, V. D. in *Biblio-*

litterarum horror; instilletur sedatioris disciplinae infucatus amor. Haec vero nescio an unice effici possint sobriis quidem ac bonae frugis scriptis, non tamen, quae reconditioris sapientiae tenebris superfusa, neque a tironibus percipi queant, et elegantioribus taedium afferant. Etenim Cererem quoque ajunt, coelitum omnium optimam maximam, antequam Eleusiniis coepta sit mysteriis coli, aratrum primum duxisse, et triticum mortales serere edocuisse.

Haec ita apud animum nostrum reputantes, cum ipsi quidem, pro viribus, in Platone legendo perseverabamus, tum

theca sua *Mosquensi* Platoni quoque locum olim concessurum. I. H. Neukirchii, Viri spectatissimi, qui nos Kijoviae primis linguae graecae elementis instruxit, Philologicas in Politiam Quaestiones huc trahere non possum, ut quae in Germanicis potius recondendae pluteis. F. Ch. Gräffe, *Die Sokratik nach ihrer ursprünglichen Beschaffenheit*, si modo idem est Vir illustrissimus, qui Academiam Petropolitanam decorat, assequi non datur — Polonicas singulorum Plat. dialogorum conversiones, maxima parte his jam postremis annis confectas, inspicere non licuit. Dolendum est, Holowinskium nostrum, quo olim carissimo praeceptore sumus usi, nunc Academiae Petropolitanae Antistitem, postquam tot jam praeclaris ingenii sui operibus patrias litteras dotavit, cum nuper specimen socraticae, imo antiquae, ut ipse V. Ill. fatetur, sapientiae exhibere constitueret, personati Cebetis tabulam atque Epicteti Enchiridion nobis obtulisse, non divini potius Platonis aliquem dialogum, cui plurimum inde lucis affunderetur. V. *Obraz Cebesa i Podręcznik Epikteta, z greckiego przełożył i uwagami objaśnił* X. Holowiński. Wilno. 1845. Ceteroquin Cebes jam 1581 fuit primum conversus, tum nuper a Morongovio, nisi memoria fallit. Aristoteles quidem satis curae fuit Polonis (v. Jocher, *Obraz bibl. hist. Lit. i Nauk w Polsce.* Wilno. 1840. T. I, p. 12, sqq.); Platonem autem plane neglexerunt.

etiam anxii expectabamus, ecquid Platonicarum lucubrationum, unde in nostrum quoque derivaremus agellum, proferretur a Viris Doctis, quibus neque Rossi neque Poloni indigeant. Alebat alacrioresque reddebat spiritus *Friderici Vateri* integra in nos sollicitudo, nec non *Caroli Morgensternii*, quocum nostra communicavimus, singularis humanitas; quorum utrumque ut nunc grato animo colimus, ita in posterum piam eorum memoriam servare ac testificari antiquissimum nobis semper erit. Jam et ipsi tandem vernacula lingua aliquid de Platone nugarum meditari coepimus. Etsi enim bene sentiremus, in litteris neutiquam, quemadmodum in adoniis hortis, sata statim germinare atque octavo jam die fructus ferre posse; tamen in communi necessitate inertem desidemque torpere, nec quidquam pro virili in symbolam proferre, nefas esse ducebamus. Interea rerum id consilii quominus exsequeremur, praepediverunt tempora; quibus obsecuti, ad philologicam hanc, si Diis ita placuit, farraginem libelli conficiendam animum appulimus. Optime quidem intelligimus, haec nostra, quibus in Platone tirocinium ponere decrevimus, tenui admodum Minerva comparata, neque iis, quae docta Germania in dies pariat, misceri valere, neque nostratium elegantiores oculos pascere posse. Utinam saltem patria Juventus, quam ab externis fontibus aut verecundia, aut inopia arceat, cum hisce nostris, utpote et vernaculis et parvulis, contendere ne aversetur. *Hoc erat in votis.*

Scribebam Kazani, Calendis Novembribus
anni MDCCCXLVI.

INTRODUCTIO.

DE VARIIS METHODIS PLATONEM IN UNUM SYSTEMA REDIGENDI.

I.

Quicunque Platonis scripta adierit, ut ex iis philosophi mentem suo informaret animo, brevi intelligit, quam lubricum hoc sit atque arduum. Nam tantum abest, ut Plato, quae de rerum natura senserit, systematico ordine enarret, ut tota ejus ratio dispersa sit per varios et forma et argumento dissimiles dialogos. Hi vero dialogi ita sunt comparati, ut, quamquam in iis, ad unum fere omnibus, Socratem disputantem audis, cum tamen semper aliud quid, a proximo quidem diversum, in medium proferatur: quae tandem inter tot tamque varias quaestiones intercedat necessitudo, inops consilii haereas; imo etiam, quod singulorum sermonum sit consilium, qui exitus, sub judice plerumque res maneat (¹). Fit inde, ut, etiamsi perventum sit

---

(¹) Zeteticus hic, quem plerique Platonici dialogi referunt, philosophandi character fuit in causa, quod jam Arcesilas, *qui primus ex variis Platonis libris, sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi. quod aut sensibus, aut animo percipi possit* (Cic. *de Orat*, III. 18.), ei ἀκαταληψίαν suam obtruderet (v. Id. *Acad. Pr.* II, 5. 23. Plut. *adv. Colot.* p. 1121, sqq. Cf. Ritter. *Hist. Phil.* T. III, p. 554, sqq. E Reinhold, *Lehrb. d. Gesch. d. Philos.* Jena. 1836. p. 104, sq.);—item Zeno;—quodque posteriores Sceptici utrumeum in suum traherent gregem, an dogmaticis adnumerarent, ambigerent. *Τὸν Πλάτωνα οὖν*, inquit Sext. Emp. *Pyrrh. Hypot.* I, §. 221 (p. 50. Bekker.), *οἱ μὲν δογματικὸν ἔφασαν εἶναι, οἱ δὲ ἀπορητικόν,*

ad id, ut collatis diversis Platonicae doctrinae momentis, ejusque de singulis rebus opinione tandem excussa, secundum aliquod **schema** particulae hae digererentur et componerentur; ex quo tamen cardine cuncta apud Platonem ipsum sint suspensa, quoque modo singula cohaereant atque congruant, non tam facilis esse indaginis profiteare. Jam vero cum Plato summam atque imam rerum universitatis metam contingere cernatur, neque tamen in earum natura indaganda temere ab uno tramite ad alium transilire sit existimandus, sed certam aliquam in philosophando viam ac rationem sequi: in proclivi est suspicio, fortasse singulos illos sermones ita esse compositos, ut cunctis ad unum quendam finem vergentibus, non nisi dialogico auctoris artificio mutua eorum affinitas communisque nexus celetur. Ecquo ergo modo nexus hic detegi possit, atque quo pacto Platonis scripta ita inter se componi debeant, ut alio ex alio, dispersis scilicet magni corporis membris, perpetua serie suspenso, integer quasi, omnibus suis numeris absolutissimus, genuinae Platonicae philosophiae **canon**

οἱ δὲ κατὰ μέν τι ἀπορητικὸν κατὰ δέ τι δογματικόν· ἐν μὲν γὰρ τοῖς γυμναστικοῖς [φασὶ] λόγοις, ἔνθα ὁ Σωκράτης εἰσάγεται ἤτοι παίζων πρός τινας ἢ ἀγωνιζόμενος πρὸς σοφιστάς, γυμναστικόν τε καὶ ἀπορητικόν φασιν ἔχειν αὐτὸν χαρακτῆρα, δογματικὸν δὲ ἔνθα σπουδάζων ἀποφαίνεται ἤτοι διὰ Σωκράτους ἢ Τιμαίου ἢ τινος τῶν τοιούτων.... εἰ δέ τινα, sic finit Sextus, respiciens **Menodotum** et **Aenesidemum**, *καὶ σκεπτικῶς προφέρεται, ὅταν, ὡς φασί, γυμνάζηται, οὐ παρὰ τοῦτο ἔσται σκεπτικός. κ.τ.λ.* Cf. Schol. *in Arist. Categ.* p. 23. A. coll. **Brandis.** Berol. 1836. Diog. Laert. III, 51, sqq. Id. IX, 72 **Zenonis** sententiam tangit; **Aenesidemi** vero **Photius**, *Bibl.* CCXII, extr.

restituatur: id rerum rimari sponte prurigo in animum subrepit. At hanc quidem Platonicae philosophiae percipiendae rationem cum antiquitus jam essent periclitati, nostri demum temporis sagacitas nigro notavit carbone. Attamen donec intellectum fuerit, eam nequaquam stare posse, plurima, eaque omnia irrita, tentamina sunt facta. Quae cum uberius recensere a nostro proposito absit, brevissimis saltem adumbrare res ipsa nos jubet. Itaque missis syzygiis **Serranianis**, **Petitianis** trilogiis, posthabito **Geddesio**, **Sydenhamio**, **Eberhardio**, ipsius denique **Tennemanni** haud ita felicia conamina praetereuntes ([1]), rapiamus in mediam rem, atque hac jam nostra aetate, in cujus luce versamur, quid ad Platonem rectius capiendum prolatum fuerit, paucioribus, quam res tanta enarrari possit, significemus.

In **digerendis atque ordinandis Platonis scriptis duplicem** viri docti nostra aetate inierunt viam, quarum alteram praecipue Schleiermacherus sibi munivit, altera vero a recentioribus maxime Philosophi divini cultoribus tentari coepit.

Schleiermacherus ([2]), sagacissimi Platonicorum librorum interpretis partibus susceptis, cum omnes hos libros ad unam

([1]) De his omnibus consulas **Schleiermacherum**, *Pl. WW. Einl.* p. 24, sqq. **Hermann.** *Gesch. u. Syst. d. Pl. Ph.* p. 359, sqq. **Karpov.** *Introd. in Plat. vers.* p. 53. sqq.

([2]) Exposuit Schleiermacherus rationem suam imprimis in **Introductione** ad conversionem germanicam Opp. Plat. T. I, p. 1—52, quam copiose et docte recensitam invenies ap.

eandemque pensitaret trutinam, decrevit vir summus, quod aliis etiam persuasit, Platonem in scribendi negotio ea usum esse conditione, ut ipsis jam philosophandi initiis, etsi quidem nondum omni numero consummatum disciplinae suae, e Socratis ore exceptae, orbem mente sibi informaverit; tamen certi finis ac propositi plane conscius, ad finem hunc singula quaeque delinearet et consignaret [1]. Sic ergo Plato, e Schleiermacheri sententia, in Phaedro postquam juvenis prima fundamenta jecit, ceteros inde dialogos, praemeditata ratione et perpetuo consequentique ordine, non nisi levioribus quibusdam a semel inita via detortis, ita composuit atque edidit, ut altero ex altero connexo, unum quasi, secum ubique congruum, Platonicae philosophiae efficeretur systema [2].

Hermann. l. l. p. 347, sqq. 362, sqq; cll. Stallbaumio, *Plat. vita et script.* p. XXXI, sqq. Jeżowskio, l. l. p. 10, sqq.

[1] V. *Introd. ad Phaedr.* p. 75, sqq..... «dass das wahre Philosophiren nicht mit irgend etwas Einzelem anhebe, sondern mit einer Ahndung wenigstens des Ganzen, und dass so wie der persönliche Charakter des Menschen, so auch das Eigenthümliche seiner Denkart und Weltansicht schon im ersten Anfang seiner wahrhaft freien und selbstthätigen Aeusserungen müsse zu finden sein. Warum also soll nicht auch die Mittheilung eben so anfangen?» et seqq.

[2] *Introd. ad Opp.* p. 21, sqq. «Da indessen auch in seinen [i. e. Platonis] Werken die Darstellung der Philosophie in demselben Sinne [i. e. socratica ratione] fortschreitend ist von der ersten Aufregung der ursprünglichen und leitenden Ideen bis zu einer wenn auch

At vero Platonici dialogi quominus unius quasi necessitudinis vinculo contineri credantur plurima gravia, a viris doctis acute deprompta, omnino prohibent. Sunt tamen haec magis et nota et sancita, quam ut in iis impense recoquendis periclitemur. Et superest praeterea aliquid, quod, quamvis per se non multum momenti ad fidem Schleiermacherianae opinioni derogandam attulerit; tamen, aliis causam agentibus, in extremo libelli margine subscribi forsitan possit.—Etenim si dialogi hi re vera auctoris manu fuissent consociati inter se connexique, nonne aequum esset proximos ejus in academia successores et discipulos, non dico jam ipsam sermonum consequentiam necessitudinemque haud

---

nicht vollendeten Darstellung der besonderen Wissenschaften, so folgt, das obige vorausgesetzt, dass es eine natürliche Folge und eine nothwendige Beziehung dieser Gespräche auf einander geben muss. Denn weiter fortschreiten kann er doch nicht in einem andern Gespräch, wenn er nicht die in einem früheren beabsichtigte Wirkung als erreicht voraussetzt, so dass dasselbe, was als Ende des einen ergänzt wird, auch muss als Anfang und Grund eines andern vorausgesetzt werden».—Itaque in tres classes Platonicos dialogos vult dirimi Schleiermacherus. Prima earum, elementaria, complectitur ea scripta (Phaedrum, Protagoram, Parmenidem), quibus totius rationis principia enucleantur; altera, constructiva, rectam philosophandi rationem exsequitur; tertia denique, demonstrativa (darstellende), ipsius disciplinae capita continet (v. l. l. p. 45, sqq.). Nexum hunc argute in singulorum dialogorum argumentis ostendere conatur Schleiermacherus.—De necessitudine, quae Platoni cum Socrate intercederet, declaravit Schleierm. sententiam suam in scripto: *Ueber den Werth des Socrates als Philosophen* (Abhandl. d. Akad. d. Wissensch. in Berlin. 1814—1815. Philos. Klasse p. 50, sqq. Berlin. 1818).

ignotam sibi habuisse; at saltem normae istius, qua videlicet Plato nisus sit veluti fundamento in condendis scriptis suis, conditionem ac legem ex ipsius ore relatam accepisse? Acceptam vero quin aliis tradiderint, aut, denique, quin traditam sibi posteri servaverint, non facile equidem dubitaverim. Verum enim vero, tametsi non parum a graecis hominibus in ariadneo platonicorum scriptorum filo scrutando erat sudatum; neque tamen umquam bene iis cessit, et ipsi sibi singuli discrepabant. Quod vix accideret, si Platonem ipsum hac in re ducem sequerentur. Hujus ergo dissensionis atque erroris, aut fallor, aut in hoc posita est praecipua causa, quod, fallacibus obsecuti indicibus, ea apud Platonem quaerere in mentem sibi induxerunt, a quibus Plato profecto abhorrebat — dialogorum, dico, sive, quo inter se cohaereant nexum, sive cum certa aliqua philosophicarum disciplinarum definitione convenientiam.

Certabant, primum, de ratione, qua Plato philosophiam in certa capita divisisse acciperetur. Prouti igitur aliquam sibi apud eum reperisse sunt visi, ad hujus modulum singulos dialogos dirimere et contexere studuerunt ([1]). Imprimis obtinuisse videtur tripartita illa philosophiae divisio: in moralem, naturalem, rationalem. Itaque, cum non deessent, qui contenderent, *jam a Platone acceptam fuisse triplicem illam philosophandi rationem: unam de vita et moribus; alteram de natura et rebus occultis; tertiam de disserendo, et quidquid verum quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consentiens sit, quid repugnet, judicando:* ([1]) ad eam totam ejus disciplinam retorquebant ac describebant. Attamen tantum abest, ut ratio ista in Platonis scriptis dominetur, ut, etiamsi quidem, quae Plato philosophatus est, ad tria haec capita revocari queant — imo

---

([1]) De licentia juniorum, maxime, thiasotarum in Platone interpretando—quem jam Simmias ille Socraticus augurasse dicitur, *ὅτι ἄληπτος ἔσται τοῖς μετ' αὐτὸν ἐξηγεῖσθαι βουλομένοις αὐτόν* (Olympiod. *V. Plat.* s. f.) — v. Aeneam Gazaeum, cum aliis, apud Hermann. l. l. L. I, n. 2.

([1]) Cic. *Acad. Post.* I, 5. Atticus atque Aristocles, uterque ap. Euseb. *Praep. Ev.* XI, 2, 3. init. Augustin. *Civ. D.* VIII, 4. (Opp. T. V, p. 82, E. Ed. Colon. 1616). Cf. Id. *contra Acad.* I. c. 17. (T. I. p. 173. H.)—Auctori libelli *de philosopho hist.* (Galen. T. XIX, p. 223. sq. Ed. Kühn.) placuit jam Socrati divisionem hanc philosophiae ingerere; quocum parum abest, quin faciat Schleiermacher. *Ueber d. Werth d. Socrat.* p. 59, sqq. — Quid ni etiam Moyses aut Salomo eam factitaverint, sicuti volunt Euseb. l. l. c. 4, sqq. et Olympiod. *Praef. in Ecclesiastic.* (Fabr. *ad. Sext. Emp.* p. 69, a.)? Maxime vero partitio haec a Stoicis frequentata fuit: Chrysipp. ap. Plut. *Stoic. repugn.* p. 1035, A. Diog. Laert. VII, 40. Sext. Emp. *Pyrr. Hyp* II, § 13. Id. *adv dogm* I. [*Math.* VII], 16. Cf. Ritter-Preller. *Hist. Philos. Graeci-Romanae.* Hamb. 1838. §. 377, sqq. Ritter. l. l. T. III. p. 431, sqq. In universum de hoc argumento Seneca, *Epist.* 89. — Physicorum ultimam metam theologiam statuebant, quae idcirco *mystagogia* appellata. Imo Plut. *de Isid.* s. f. p. 382. D. Platonem atque Aristotelem hanc partem philosophiae (τὴν τοῦ νοητοῦ καὶ εἰλικρινοῦς νόησιν) epopticam vocasse refert. V. Lobeck. *Aglaophamus sive de theologiae mysticae graec. causis.* Regim. 1829. T. I, p. 123, sqq.

ad aliud etiam, quod cuique placuerit, schema compelli atque componi (1)—tamen ipsa ne nomine quidem apud eum distincta invenias (2). Quid? si quis eum et ipsum, quod de Socrate suo contestatur (3), coelestia non quidem sprevisse, tamen non nisi in extremo demum philosophandi curriculo, postquam jam ea, perinde ut suus sibi animus ferret, excoluit, disciplinae suae orbi involvendi consilium suscepisse, haud fortasse injuria suspicetur. Nisi forte placuerit argutari, philosophum nostrum, quae scriptis nondum demandare auderet, ea de arcana sua catasta discipulis, omni ex genere philosophiae flosculos decerpendi cupidis, venditare non esse veritum (4). Consociavit quidem Plato atque

(1) Quemadmodum Tennemannus in prima *Systematis Platonici* parte exposuit *Theorie des Vorstellens, Denkens und Erkennens*; tum in altera *theoreticam Platonis philosophiam*, quae *moralem* et *civilem* disciplinam comprehendit. Sic Heusde digessit Platonicam rationem in *philosophiam pulcri, philosophiam veri* atque *philosophiam justi*. Hegelius, Ritterus, et si quis alius, aptissime accommodavere Platonem ad ethicam, physicam, dialecticam philosophiae descriptionem, ut jam Appulejus fecerat.

(2) «*Tipartitam vero esse philosophiam et ipse Plato haud obscure prodidit* (Amat. p. 137, sq.), *et unanimi ore interpretes fatentur*». Brucker. *Hist. crit. Philos.* T. I, p. 669. Credat ei Judaeus Apella!

(3) *Phaed.* p. 96, sqq. *Rep.* VII, p. 529. cll. *Leg.* XII, p 966, sqq. Xenoph. *Mem.* I, 1, 11, sqq.; IV. 7, 6, sqq. Sext. Emp. l. l. 8. Cic. *Tusc. Quaest.* V, 4. et alibi ap. Heusd. *Init.* p. 356, sqq Cf. Ritter. l. l. II, p. 38. sqq. Brandis, *Grundlinien der Lehre des Socrates.* p. 129, sqq. (in Museo Rhenano, I. Jahrg. Bonn. 1827).

(4) Tale quid de Kantio narrant. K. Rosenkranz, *Gesch. d. Kant. Philos.* Leipz. 1840. p. 48, sqq. «sein Kathedralvortrag sich von hier ab durch sein ganzes Leben ziemlich

in unum tandem conflavit corpus tres illos articulos, quibus non nisi conjunctis philosophiam omnibus suis numeris et partibus expleri juniores haud difficile animadverterunt; tamen et hoc serius effecisse videtur, et nihilo praeterea minus — quod ei, nobis

gleich blieb, und er von dem, was er darin gab, seine Schriftstellerei sorgfältig unterschied». etc. Et Tennemann de Platone, l. l. I, p. 240, sqq. «Da aber alle seine Schriften gewissermassen als exoterische angesehen werden können, so bleibt es noch immer unausgemacht, ob er nicht in dem mündlichen Vortrage der Philosophie ihre Theile abgesondert, und wissenschaftlicher behandelt habe, als es in seinen Schriften geschehen ist». etc. — De esotericis *Platonis* mysteriis (Lobeck. l. l. 127, sq. cll. Olymp. *V. Pl.* s. f.—De *Pythagora* v. Ritt. l. l. T. I, p. 301, sq.; de *Aristot.* infra; de *Isocr.* Laert. IV, 2.—Eus. l. l XIII, 5 adpinxit nonnulla ex Numenii libro *περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀποῤῥήτων*) nemo jam hodie hallucinatur. V. Schleierm. *Intr.* p. 11, sq; Hegel. *Hist. Ph.* II, p. 180 (Opp. T. XIV. 1840.); Herm. l. l. p. 552, sq; Zeller. *Plat. Stud.* p. 199, sq; Ritt. l. l. p. 140, sq.—Et si quae circumferebantur Platonis *ἄγραφα δόγματα* (Aristot. *Phys. ausc.* IV, 4). aut *ἄγραφοι περὶ τ' Ἀγαθοῦ συνουσίαι* (Alex. Aphr. ap. Simpl. *ad Arist. phys.* I, fol. 32. B: p. 334, B; cll. Simpl. *ad Phys.* III. f. 104. B: p. 362. init. cll f. 117. p. 368; IV. f. 127: p. 372; Joh. Philopon. *ad Arist. de anim.* I, 2; Id. *ad Phys.* IV: p. 371. B; Suid. *Ἀγαθοῦ δαίμ.*); quibus forsitan adnumerandae *διαιρέσεις* (Arist. *de gen. et corr.* II, 3. c. Philopono) simpliciter dictae, si differant a *γεγραμμ. διαιρ.* (Id. *de partib. animal.* I. 2.); haec, inquam, omnia a discipulis, ut probabile est, ex philosophi ore descripta, ab iis, quae ipse litteris consignaverit, non ab-

quidem judicibus, summo tribuendum est merito — philosophia apud eum integra et virgo quasi constabat, donec ab umbraticis lustrorum magistris in diversas ire partes est coacta. Cujus

horruisse, consentaneum est (Sermones Platonis *De Bono*, quibus interfuisse dicuntur Aristoteles, Speusippus, Xenocrates, Heraclides, Hestiaeus, conscripsit Stagirita uno volumine Schol. *ad Aristot. Met.* p. 790: *ἐν τῷ π. Ἀγαθοῦ μονοβιβλίῳ.* sed cf. Laert. V, 22; v. Simpl. *ad Arist. Phys.* ll. ll. Philop. *ad Phys.* l. l. Alex. Aphr. *ad Ar. Met.* p. 551, B: p. 567. B. Brandis, *de perditis Ar. ll. de ideis et bono s. ph.* Bonn. 1823. nobis deest); sed cf. Sch. *ad Ar. de Coelo* I, p. 489: *ὁ Ξενοκράτης καὶ ὁ Σπεύσιππος ἐπιχειροῦντες βοηθῆσαι τῷ Πλάτωνι ἔλεγον ὅτι οὐ γενητὸν τὸν κόσμον ὁ Π. ἐδόξαζε, ἀλλὰ ἀγένητον, χάριν δὲ διδασκαλίας καὶ τοῦ γνωρίσαι καὶ παραστῆσαι αὐτὸ ἀκριβέστερον ἔλεγε τοῦτον γενητόν.*—Docentium verba scribendo excipere, haud insolitum fuit veteribus. De Hermodoro, qui Platonis sermones, antequam publici juris sunt facti, divulgabat, v. Cic. *ad Att.* XIII, 21. Zenob. *Prov. Cent.* V, 6. Suid. s. v. (hujus Hermodori verba, ex Platonis sermonibus hausta, allegavit Dercyllides, in libro XI. *de philos. Plat.*, Porphyrio teste ap. Simpl., *ad Arist. Phys.* I, fol. 54, B. p. 344, sqq. Cf. Jons. *Script. Hist. Philos.* I, 10, 2. Voss. *De Historicis Graec.*, cum *Westermanno*, p. 446.). Cf. Plat. *Epist.* VII, p. 341, B. sqq.—Non secus in Platonicorum ludis: Theosebius dicitur descripsisse Hieroclis Alexandrini scholas de Platonico Gorgia bis habitas: v. Damascium ap. Phot. *Bibl.* CCXLII. p. 1038. Hoeschel. Cf. de Proculo in ejus *Vita* Marin. f. 6, B. (praemiss. *Theolog. Procl.* Ed. Hamb. 1618.).—De Cleanthe, Zenonis auditore, Diog. Laert. VII, 174. Senec. *Controv.* III. prooem. de Albutio: «*memini*, inquit, *omnibus illum rebus omissis apud Fabianum philosophum tanto juniorem quam ipse erat cum codicibus sedere*». Sic ipsius quoque controversiarum libri olim in scholis

facinoris qui primum auctorem Xenocratem nobis tradant ([1]), nullus equidem fidem meam largiri iis repugnarim. Idque eo magis, quod, quae discipulus belle, Jupiter, et artificiose enixus sit, eorum laus saepiuscule jam praeceptori vindicari solet; attamen non ita facile in discipulum esset collatum, quod ab ipso magis-

disputatorum memoriam colligunt.—Verisimile est, si quid in his tenebris cerni possit, Scholas Platonicas disputationibus, maxima parte, contentas fuisse. Quantum ipse vivae voci tribuerit, patet ex decantato loco *Phaedri* p. 274, sqq.; sophisticos tinnitus derisui eum habuisse, notissimum est: cf. *Protag.* p. 329, A. Perpetua vero oratione Platonem in schola declamitasse, neque Aristoxeni locus (*Harm. Elem.* II, p. 30. ed. Meibom. Ritter-Preller. l. l. §. 247.) plurimum arguere videtur, neque ex Themistio (*Orat.* XXI. p. 245, C. ed. Harduin.) multum lucramur. Imo quae scripto illustraverit, ea disputationi etiam subjicere eum non raro esse solitum, conjecerimus ex Phavorino, ap. Diog. Laert. III, 37; ubi tamen non ita eos, qui surrexerunt (*ad laudandum?!*) adversariorum partes suscipere dixerim, quam potius, qui se sua continuerit sede (*παραμεῖναι*), Aristotelem, accinctum esse ad disputandum hoc modo sese significasse. Hoc tamen non licet per Hermannum, qui l. l. p. 79. locum hunc sic expressit: «Nur bisweilen, scheint es, verstand auch er sich zu einer förmlichen Vorlesung vor einem grösseren Publicum, jedoch nicht mit dem günstigsten Erfolge; es ist eine bekannte Anekdote, wie ihm, als er seinen Phädo vorlas, zuletzt nur Aristoteles noch treu geblieben sey; und ganz ähnlich ist der Fall bei Themistius» —Id neque Xenocrati dederim, invito Rittero, I. p. 398; tamen v. Cic. *de Fin.* II, initio.

([1]) Sext. Emp. *adv. dogm.* I. [*Math* VII.], §. 9, sq. §. 16... *ἐντελέστερον δὲ παρὰ τούτους οἱ εἰπόντες τῆς φιλοσο-*

tro excogitatum fuerit. — Ad Platonem a Xenocrate tripartitae philosophiae palmam deferre neque hoc cogere videtur, quod jam **A r i s t o t e l i** eam agnosci dixeris ([2]). Nihil enim impedit, quominus et Xenocratem jam pridem inventum suum in vulgus protulisse et frequentasse affirmes; et Aristotelem talem fuisse neges, ut, quod res ipsa ferret, in hoc cum Xenocrate, discendi, etsi quidem tardiore, nec non docendi socio, facere aversaretur. — At negas potuisse Xenocratem dividendae philosophiae modum a Platone sancitum mutare, quin tota simul Platonicae disciplinae forma perverteretur? — At non mutavit, si nullus fuit! — Tametsi vero id novavit, tamen tantum abest, ut, dum alias non admo-

---

φίας τὸ μέν τι εἶναι φυσικὸν τὸ δὲ ἠθικὸν τὸ δὲ λογικόν· ὧν δυνάμει μὲν Πλάτων ἐστὶν ἀρχηγός, περὶ πολλῶν μὲν φυσικῶν πολλῶν δὲ ἠθικῶν οὐκ ὀλίγων δὲ λογικῶν διαλεχθείς· ῥητότατα δὲ οἱ περὶ Ξενοκράτην καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ περιπάτου ἔτι δὲ οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς ἔχονται τῆσδε τῆς διαιρέσεως. Jam **F a b r i c i u s** ad h. l. monuit: «*ceterum δυνάμει Sextus opponit ei quod mox dicit ῥητότατα, diserte enim tripertitam illam distinctionem Philosophiae non prodidit Plato, et omnes tres partes illustrando idem fecit ac si diserte illam tradidisset*». — De *Speusippo* v. **D i o d o r.** ap. **L a e r t.** IV, 2. *οὗτος πρῶτος ἐν τ. μαθήμασιν ἐθεάσατο τὸ κοινόν.*

([2]) **A r i s t.** *Top.* I, 14, 6. *τῶν προτάσεων καὶ τῶν προβλημάτων* [n. b!] *μέρη τρία. φσ. ἠθ. λγ.* **R i t t.** l. l. p. 183. «Mais nous croyons cependant devoir admettre que Platon reconnaissait expressément cette division, et que c'est par cette raison qu'elle fut universellement usitée dans son école. Car puisque Xénocrate l'employa, et qu'il ne pouvait cependant s'écarter de Platon dans la division de la philosophie, sans donner une toute autre forme à sa doctrine, ce que nous n'avons aucune raison d'admettre, on ne peut que

dum religiose magistri presserit vestigia ([1]), hoc in negotio ab ejus latere discesserit; ut, quae jam Plato subegit fere atque tantum non consummavit, ille, omnia haec sub unum quasi ponens aspectum, verbo modo pronunciaverit. Quod, nisi fallor, etiam non admotis calcaribus, quibus maxime egere a dilectissimo praeceptore judicatus est, praestare par erat ([2]). *Ita demum facta est* forte, ut dicam cum **C i c e r o n e** (*Acad. post.* I, 4), *ars quaedam philosophiae, et rerum ordo, et descriptio disciplinae.* — Sed licuerit, praeterea, conjectare, Xenocratem tripartito hoc discrimine non tam rerum cognoscendarum a Platone acceptam rationem explicuisse; quam potius demonstrasse id in illis decursibus vicibusque **e n a r r a n d i s**, quas perfecerit philosophia, postquam a Socrate, ut fertur, e *coelo* in *urbes* devocatam, Plato, **d i a l e c t i c a** ascita disciplina, in unum totum primus copulavit ([3]).

---

conjecturer que Xénocrate avait reçu cette division de Platon. Ce qui nous confirme encore plus dans cette opinion, c'est qu'Aristote suppose aussi que cette division est généralement connue. *Top.* I, 12; *Anal. post.* I, 12, fin.». —

([1]) Neutiquam ad verborum fidem accipiendus est **C i c.** *Acad. Post.* I, 9. aut **L a e r t** IV, 1: v. **N u m e n.** ap. **E u s.** *Pr. Ev.* XIV, 5. cf. **K r i s c h e**, *Die theol. Lehren d. Gr. Denker.* Götting. 1840. p. 254, 311, sqq. **R i t t.** — **P r e l l.** l. l. §. 288.

([2]) Qua de re dubitat **T e n n e m a n n.** l. l. p. 241, sqq.

([3]) Platonem, ut et supra diximus, primum id praestitisse, ipse jam optimo nobis est testimonio. **A r i s t o t e l e m** ap. **S e x t. E m p.** *adv. dogm.* I, 7, ubi **Z e n o El.** dialecticae auctor dicitur (**L a e r t.** VIII, 57). cf. cum **D i o g. L a e r t.** III, 56. V. **O r i g e n.** *Philosophum.* c. 19 extr. (T. I, p. 900, A. Ed. Delarue. 1733.) *ὁ μὲν οὖν Πλάτων, καθὼς προείπομεν* [c. 18. *Πλ. μίξας ὁμοῦ φυσικὴν, ἠθ., διαλ.*], *συναγαγὼν τὰ τρία μέρη τῆς κατὰ πάντα φιλοσο-*

Quod si vero Xenocrates sive hoc sive alio modo philosophiae discernendae atque in singulas partes describendae manum admoverit: nullus equidem crediderim Platonem jam umquam huic negotio animum appulisse; nisi forte Platonem ostenderis id quidem molitum, sed titubantem lapsumve a Xenocrate demum sublevatum fuisse.

Porro, si hoc triplicandae philosophiae institutum ab ipso jam Platone originem suam duxisset, aut saltem id proximi ejus successores usu frequentassent, tunc, si quid aliud, certe hoc praecipue, non tam facile, quantum equidem sentiam, in Platonicorum palaestris esset immutatum et convulsum. Quod tamen longe secus factum esse videmus. Etenim Platonis tutores atque

---

φίας etc. Appulej. *de habit. doctr. Plat.* I, init. «*Quapropter inventa Parmenidis ac Zenonis studiosius executus, ita omnibus, quae admirationi sunt singula, suos libros explevit, ut primus tripartitam philosophiam copularit, sibique invicem necessarias partes, neque pugnare inter se tantummodo, sed etiam mutuis adjuvare auxiliis ostenderit. Nam quamvis de diversis officinis haec ei essent philosophiae membra suscepta, Naturalis ab Heracliteis, Intellectualis a Pythagoreis, Rationalis atque Moralis ex ipso Socratis fonte; unum tamen ex omnibus, et quasi proprii partus corpus effecit*». — Fabric. *ad Sext.* p. 373 suspicatur «*Xenocratem tripertitam illam distinctionem singillatim etiam explicasse libro de philosophia, quem memorat Laertius* IV, 13.» Probabile est librum hunc, sicuti cognomine Aristotelis opus. complexum esse philosopham Graecorum historiam. — Quod vero Laert. VII, 39 tricipitem τὸν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον (cf. id. 41. Cic. *Fin.* IV, 2.) a Zenone Citt. *primum* factum esse asserit: hoc inde provenisse reor, quod Zeno *logicam* nominaverit, quae hactenus *dialectica* cluebat («*Apud Aristotelem, etsi logices auctorem et conditorem, commune universae disciplinae nomen non*

amplificatores, cum non id solum rerum in gymnasiis et otio agerent, ut singulos modo antistitis sui dialogos interpretarentur, verum etiam totius Platonicae sapientiae ambitum circumscribere atque suis asseclis exponere studerent (1): necesse fuit, eos in expositione hac certum aliquem ordinem ac legem adhibere, quo veluti fundo atque totius quasi aedificii fulcro uterentur. At cum alii aliam, quae ad Platonem videlicet propius videretur ac-

---

invenitur. Logicam Stoici maxime appellarunt». Trendelenb. *Elem. log. Ar.* p. 47; Ed. 3. 1845), ab Epicureis postea *canonica* appellata (Laert. X, 30. Sext. Emp. VII, 15.), quodque alium huic disciplinae in triade sua assignaverit locum (cf. Ritt-Prell. §. 378. Ritt. III, p. 431 sq.). In his et aliis angustiis aegerrime ferimus nos carere cum aliis subsidiis, tum maxime Brandisii libro, qui omnium digitis monstratur, *Gesch. d. griech. röm. Philosophie.*

(1) Ita, ex. gr., Hierocles Alexandrinus Gorgiam sociis explicabat (v. spr. p. 10, n. 4.). Gorgiam diligentius legit Cicero Athenis cum Charmada: Cic. *Orat.* I, 11. Cf. Aul. Gell. I, 9. «*Nunc autem, inquit Taurus* [Calvisius Taurus, qui composuit Comment. in Gorgiam: Id. VI. 14. atque in Timaeum: Schol. Plat. *in Tim.* 15. Cf. Brucker. *Hist. crit. Philos.* T. II, p. 167.], *isti qui repente pedibus illotis ad philosophos devertunt, non est hoc satis, quod sunt omnino* ἀθεώρητοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι; *sed legem etiam dant, qua philosophari discant: hoc volo, inquit, discere, istud nolo, hic a symposio Platonis incipere gestit propter Alcibiadis commissationem, ille a Phaedro propter Lysiae orationem. Est etiam, inquit, prô Iupiter, qui Platonem legere postulet, non vitae ornandae, sed linguae orationisque comendae gratia, nec ut modestior fiat, sed ut lepidior*». Hactenus Gellius. Plutarchus, Nestorii f., praelegit primum Proculo juveni Aristotelis *de anima* et Platonis *Phaedonem*, atque tum ἐν ἔτεσι οὔτε δύο ὅλοις πάσας αὐτῷ τὰς Ἀριστοτέλους συνανέγνω πραγματείας, λογικὰς, ἠθικὰς, πολιτικὰς, φυσικὰς, καὶ

cedere, sequerentur rationem, nescio an minor pars eam sint ingressi viam, quam Stoici ac Peripatetici ambulare solebant. Sic, quod Laertius atque Albinus (¹) Platonicae rationis delineaverunt tabulatum, primarium ejus in theoreticam et practicam philosophiam discrimen, quarum altera physicam et logicam disciplinam comprehendit, altera vero ethicis et politicis quaestionibus occupatur, hujus, inquam, cardinem ex Aristotelea haeresi subreptum esse res jam sponte clamat (²). Neque magis Platoni, quam Stagiritae propria est ista partitio quam tergeminam propinat nobis Alcinous (³), ex Ipsius quasi ore desumptam. Etsi enim principalia saltem tria divisionis hujusce genera nomine magis, quam re a Xenocrateis illis, sive ma-

---

τὴν ὑπὲρ ταύτας θεολογικὴν ἐπιστήμην. ἀχθέντα δὲ διὰ τούτων ἱκανῶς ὥσπερ διά τινων προτελείων καὶ μικρῶν μυστηρίων, εἰς τὴν Πλάτωνος ἦγεν μυσταγωγίαν, ἐν τάξει καὶ οὐχ ὑπερβάθμιον πόδα κατὰ τὸν λόγον τείνοντα. Marin. *V. Procl.* f. 6. B. sqq.—Jamblichus totam philosophiam Plat. contineri affirmabat Timaeo et Parmenide: Procl. *in Tim.* I, p. 5. (in calce Plat. Basileens. 1534.). Cf. Id. *in Alc.* 6. p. 11. (*ἐν δέκα διαλόγοις*), et de ipso Marinum l. l. Ritt-Prell. §. 534.

(¹) Laert. III, 49, sq. Albin. *Isag. Plat. diall.* cc. 4, 5. (p. 128 *Pl. Fischer.* Ed. III, Lips. 1783.). Cf. Ritt. l. l. T. IV, p 194, sq.

(²) Discrimen hoc ab Aristotele esse positum v. Biese, *die Phil. d. Aristot.* Berlin. 1835. T. I, p. 280. Ritter. l. l. T. III, p. 48. adde: Diog. Laert. V, 28. Plut. *Plac. Phil.* prooem. p. 874, sqq. *Ἀριστοτέλης δὲ καὶ Θεόφραστος, καὶ σχεδὸν πάντες οἱ περιπατητικοὶ διεῖλον τὴν φιλοσοφίαν οὕτως· κ.τ.λ.* Cf. David. ad *Arist. Categ.* p. 12, B Hermiam, *Proth. in Porph.* p. 10.

(³) Alcin. *Isag. dogm. Plat.* (p. 96, sq. Plat. Fischer.).—Atticus quoque, Platonicus ille contra Aristotelem propugna-

vis Platonicis, differre forte dixeris; nobis tamen etiam haec peripatum redolent. Accedit, quod novicia ista pigmenta ita ab illorum simplicitate abhorrent, ut ex uno quoque trium disciplinarum genere tres quatuorve novas suspensas species accipias;

---

tor (v. insignes ejus reliquias ap. Eus. *Pr. Ev.* XV, 4—9, 12, 13.), trifariam dividebat philosophiam: Eus. l. l. c. 4, init.—Quam conferas cum Philoponea Aristotelis philosophiae triplicatione: Philop. *ad Arist. Categ.* p. 36. *τῶν δὲ ἀκροαματικῶν τὰ μέν ἐστι θεωρητικὰ τὰ δὲ πρακτικὰ τὰ δὲ ὀργανικά.... πάλιν δὲ τῶν θεωρητικῶν τὸ μὲν θεολογικὸν τὸ δὲ μαθηματικὸν τὸ δὲ φυσιολογικόν, καὶ τῶν πρακτικῶν τὸ μὲν ἠθικὸν τὸ δὲ οἰκονομικὸν τὸ δὲ μαθηματικόν* [sic! scr. *πολιτικόν*], *καὶ τῶν ὀργανικῶν τὰ μὲν εἰς τὰ περὶ τῶν ἀρχῶν τῆς μεθόδου... κ.τ.λ.*—Quae Alcinous habet de prima parte, haec plane congruunt cum Arist. *Met.* V, 1. *ὥστε τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαί, μαθηματική, φυσική, θεολογική.* et Ibid. XI, 6. Cf. David. l. l. prax. 19. p. 15: *ἰστέον ὅτι ἄλλως ὁ Πλάτων τὸ θεωρητικὸν διαιρεῖ καὶ ἄλλως ὁ Ἀριστοτέλης· καὶ γὰρ ὁ Πλάτων ὑποδιαιρεῖ τὸ θεωρητικὸν εἰς φυσιολογικὸν καὶ θεολογικόν, τὸ δὲ μαθηματικὸν οὐκ ἐβούλετο μέρος εἶναι τῆς φιλοσοφίας ἀλλὰ προγύμνασμά τι, ὥσπερ ἡ γραμματικὴ καὶ ἡ ῥητορική... ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ὑποδιαιρεῖ τὸ θεωρητικὸν εἰς φυσιολογικὸν μαθηματικόν. κ.τ.λ.* cll. Hermia, l. l.—Practicae quoque philosophiae tripartita sectio derivatur item ab Aristotele. v. Ritter. l. l. T. III, p. 246. adde Diog. Laert. V, 28. David. l. l. pr. 23, p. 16...*τὸ πρακτικὸν ἄλλως διαιροῦσιν οἱ Ἀριστοτελικοὶ καὶ ἄλλως οἱ Πλατωνικοί. οἱ γὰρ Ἀριστοτελικοὶ εἰς τρία αὐτὸ διαιροῦσιν, εἰς ἠθικόν, εἰς οἰκονομικόν, εἰς πολιτικόν.* Id. pr. 24. *λαβόμενοι οἱ Πλατωνικοὶ τῆς Ἀριστοτελικῆς διαιρέσεως τοῦ πρακτικοῦ ἔρχονται*

quae rursus aliis multiplicatae particulis, **sedecim** in universum nomina efficiant. Jam vero sectiones hae tantum abest, ut Platoni possint adjudicari, ut eas jam prorsus ex Aristotelis penu depromptas esse sentias.

II.

Verum vero haud sinis tibi evocari in praesenti causa testes, non valde sane locupletes illos, ex **Platonicorum** sordidis officinis? Quid, inquis, mirum, si, in quarum sentina nativus Platonis color contaminatus est et evanuit, atque unde tot philosophiae prodierunt portenta, ibi etiam in antiquum illum, a Platone institutum, philosophicarum disciplinarum censum, insiticiae

καὶ διαιροῦσι τὸ πρακτικὸν εἰς δύο, εἰς νομοθετικὸν καὶ δικαστικόν. Cf. Porphyr. *Prol. ad Arist.* pr. 12, p. 9.—Dialecticae denique descriptio ab Alcinoo exhibita (διαιρετικόν, ὁριστικόν, ἐπαγωγικὸν atque συλλογιστικὸν, cum tribus subdivisionibus) non minus Peripateticam rationem refert. Cf. Philop. *ad Arist. anal. pr.* I, f. 76. p. 179, sq. cll. ib. Alex. Aphr. (f. 112): πρόκειται δὲ αὐτῷ, (sc. Aristoteli) δεῖξαι ὅτι οὐδεὶς τῶν πρὸ αὐτοῦ περὶ συλλογισμῶν ἢ ἔγνω τι ἢ ἐπραγματεύσατο. τοῦτο δὲ δείκνυσιν ἐκ τοῦ τὴν διαιρετικὴν ᾗ ἐχρῶντο οἱ πρὸ αὐτοῦ μόνῃ (οὗτοι δὲ ἦσαν οἱ περὶ Πλάτωνα) πρῶτον μὲν ἄχρηστον εἶναι πρὸς συλλογισμόν. add. Id. *in Top.* I, p. 251, sq. Schol. Ar. *ad I. Anal.* p. 140 Hermias, *ad cat.* f. I, A. de *logices* ap. Plat. notione citat. ejus *Phaedr.* et *Parm.*

supellectilis discolor irrepserit luxus?—Concedo, et quidem haud invitus; optarem modo, ut liceret, pace tua, portentis in colluvione hac exclusis fotisque etiam illud inserere monstrum, quod patrum nostrorum memoria, etsi quidem haud infaustis auspiciis, ab inferis revocatum, vixdum hodie procurari absolute potuit. Studium, dico, cuncta Platonica scripta in unum artis doctrinaeque syntagma redigendi. Etenim cum non alia primum mente, nisi nos vana deludit opinio, sequiores Platonis sectatores disciplinas, quae in rerum contemplatione versantur, in certa dividerent membra, quam ut haberent aliquam regulam, ad quam, institutionis et scientiae gratia, componerent **singula** rerum cognoscendarum momenta, ex omnibus dei sui voluminibus per saturam quasi conquisita et decerpta:—quemadmodum fere **Proculus** *Platonicam* digessit *Theologiam* ([1]), aut nostro etiam aevo nonnulli Vv. Dd. *Theologiam Homeri* (**Nägelsbach**) delineaverunt:—postea id iniverunt consilii, ut ad perpendiculum hoc integros etiam libros **singillatim** exquirerent et describerent.—Sicuti, exempli gratia, **rhetores** solent Demosthenis, vel cujus vis alius orationes, secundum ternas artis suae partes, trifariam distinguere in ἐπιδεικτικούς, συμβουλευτικοὺς atque δικανικούς.—Donicum tandem eo sollertiae pervenerint, ut falsam sibi induerent opinionem, Platonicae sapientiae majestatem offendi et laedi, si quis dubitaret, an **cuncta** ejus effata ad unam eandemque doctrinae, quam alta mente conceptam foveret, aliquam normam directa consignataque et disposita fuissent. Et

([1]) Quia aequales sui, ut mox dicetur, *singulis* phil. disciplinis *singulos* Plat. assignabant dialogos, ideo, credo, Pr. se excusat (I, 6.), quod non ex *uno* penu *Theologiam* Plat. expromeret.

quo quis cordatior, eo artificiosiori torno elaboratae rotae Platonem implicuit. Quod vero fasces soluti multo facilius frangi solent, ideo in dialogorum Platonicorum manipulo per stativa disponendo callide secreverunt eos sermones, *zeteticos*, in quibus Plato lanistam (ἐνδεικτικοί, ἀνατρεπτικοί) aut paedagogum agit (μαιευτικοὶ et πειραστικοί): cum videlicet sive falsa coarguat, sive in vero indagando juvenes, pol, exerceat: ab illis, *hyphegeticis*, qui data opera disciplinam ipsam, ex perpetuo quasi edicto trifariam promulgandam, constituant et praecipiant. Nonnulli etiam ex utrisque *mixtum* genus admiserunt ([1]). Sed cum jam

---

([1]) Diog. Laert. III, 49. *Τοῦ δὲ λόγου τοῦ Πλατωνικοῦ δύο εἰσὶν ἀνωτάτω χαρακτῆρες ὅ τε ὑφηγητικὸς, καὶ ὁ ζητητικός. Διαιρεῖται δὲ ὁ ὑφηγητικὸς εἰς δύο ἄλλους χαρακτῆρας· θεωρηματικόν* [Ald. *θεωρητικόν*] *τε, καὶ πρακτικόν· καὶ τῶν, ὁ μὲν θεωρηματικὸς εἰς τὸν φυσικὸν καὶ λογικόν· ὁ δὲ πρακτικὸς, εἰς τὸν ἠθικὸν, καὶ πολιτικόν. Τοῦ δὲ ζητητικοῦ καὶ αὐτοῦ δύο εἰσὶν οἱ πρῶτοι χαρακτῆρες· ὅ τε γυμναστικὸς καὶ ὁ ἀγωνιστικός· καὶ τοῦ μὲν γυμναστικοῦ, μαιευτικός τε καὶ πειραστικός· τοῦ δὲ αγωνιστικοῦ, ἐνδεικτικὸς καὶ ἀνατρεπτικός.* In seqq. invenies etiam singulos dialogos ad classes has descriptos. Add. Albin. *Isagog* cc. 4, 5. p. 128 Fischer. Quint. *Inst. Or.* II, 15, 26. «*Sed alii sunt ejus* [Platonis] *sermones ad coarguendos qui contra disputant compositi, qui ἐλεγκτικοί vocantur, alii ad praecipiendum, qui δογματικοί appellantur*» (v. spr. p. 1. n. 1). Procl. *in Polit.* p. 352. *εἰ δὲ δεῖ καὶ οὕτω τὰ εἴδη διαιροῦμεν, ὡς τῶν Πλατωνικῶν τινὲς· εἰς ἀφηγητικὸν* (sic), *εἰς τὸ ζητητικὸν, εἰς τὸ μικτόν.* — Et haec etiam divisio Aristotelem nobis sapere videtur, qui in Soph. elench. c. 2. sq. distinguit λόγους διδασκαλικοὺς, διαλεκτικοὺς, πειραστικοὺς et ἐριστικούς. Cf. Biese, l. l. T. I, p. 626, sq.

de singulorum sermonum definiendo scopo certisque eos characteribus ac stigmatibus denotando, quin maxime inter se digladiarentur fieri nullo pacto posset ([1]); quantos, quaeso, excitare debebant fluctus, cum ad universos in unam offam convolvendos sese accinxissent? Non alio enim, si quid sapimus, consilio tam vehementer laborabant in quaerendo Platonicorum scriptorum aditu atque initio, quam ut eo invento, perpetuo inde progressi tractu, per varios dialogorum circuitus, totius tandem aedificii

---

Sic etiam Themist. *Or.* XXVI, p. 318, sqq. persequens philosophiae incrementa, — quam Socrates *a rebus occultis ad vitam communem* postquam adduxit (v. spr. p. 8. n. 2. add. A. Gell. XIV, 3. Laert. II, 20. Krische, l. l. c. XIV.), Plato vero, ut Themistii verba apponam, *σποράδην οἰκοῦσαν ξυνῴκισε καὶ συνήγαγεν, ὥσπερ ὁ Θησεὺς τὰς Ἀθήνας· τέως δὲ τριχῇ διεσπάσθη, μᾶλλον δὲ τέτραχα.....* (spr. p. 13, n. 3.), — ab Aristotele id *novatum* esse refert (p. 319, B.), quod *πρῶτος διέταξε χωρὶς τοὺς λόγους κατὰ φῦλα ἑκάστους εἶναι, ὅσοι τε πρὸς ἕνα ἀγῶνα ὁρῶσι, καὶ ὅσοι πρὸς ἐπιστήμην τῶν ὄντων, καὶ ὅσοι πρὸς ἀρετὴν ἐξηγοῦνται. κ. τ. λ.* Addit, quod hic demum (ergo *nondum* Plato! v. spr. p. 8. n. 4.) sermones suos ita distinxit, ut alios *θυραίους* vocaret et *ἀνέτους* faceret, alios vero *εἴσω τε ἀπέκλεισε καὶ μετεδίδου ὀλίγοις σὺν ἀσφαλείᾳ.*

([1]) Schol. Aristot. p. 32, A. *ἀλλ' ἵνα μὴ ἑνὸς βιβλίου τρεῖς σκοποὺς λέγοιμεν, ὃ καὶ αὐτῷ Ἰαμβλίχῳ ἀπείρηται ἐν τοῖς σκοποῖς τῶν Πλάτωνος διαλόγων.* Proculus, qui Parmenidem sibi pro praecipuo Platonicae Theologiae explicandae fundamento sumpserit, disputat contra eos, qui *μηδεμίαν ἄλλην τοῦ Παρμενίδου πρόθεσιν* esse evincere volunt, *ἢ τὴν εἰς ἑκάτε-*

exoptatum ascenderent fastigium ([1]). *Ἄρχονται δὲ*, ait Laertius, III. 62, *οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Πολιτείας οἱ δ᾽ ἀπὸ Ἀλκιβιάδου τοῦ μείζονος* ([2]) *οἱ δ᾽ ἀπὸ Θεάγους* ([1]) *ἔνιοι δὲ Εὐθύφρονος* ([2]) *ἄλλοι δὲ Κλειτοφῶντος· τινὲς Τιμαίου· οἱ δ᾽ ἀπὸ Φαίδρου·* ([3]) *ἕτεροι Θεαιτήτου· πολλοὶ δὲ Ἀπολογίαν τὴν ἀρχὴν ποιοῦνται.* Cum ergo diasceuastarum turbida natio in suum quisque gyrum compellere Platonem properaret, nil mirum, si omnia susque deque permiscuerunt. Quod jam colliges ex Proculo. Etenim ille, postquam de construetione alterius Platonici ternionis disputavit, haec adnectit ([4]): *ταῦτα μὲν οὖν περὶ τῆς ὅλης εἰρήσθω τάξεως.........οὐκοῦν ὁ μὲν Τίμαιος γεννᾷ τοὺς ἄνδρας, ὁ δὲ Σωκράτης παιδεύει, ὁ δὲ Κριτίας εἰς πράξεις προάγει, ὁ δὲ Ἑρμοκράτης εἰς λόγους. ὁ μὲν τὴν πρακτικὴν αἰτίαν μιμούμενος, ὁ δὲ τὴν τῆς μονίμου γενέσεως χορηγόν, ὁ δὲ τὴν τῆς κινήσεως χορηγόν, καὶ τὴν εἰς τὰ δεύτερα πρόοδον, ὁ δὲ τὴν τὰ ἔσχατα διὰ τῆς τῶν λόγων μιμήσεως*

ρον γυμνασίαν, tum ex altera parte cum iis luctatur, qui nescio quae sublimioria et reconditiora Parmenidi subesse suspicantur: *in Plat. Theol.* I, c. 8. sqq. (p. 17, sqq. Ed. 1618.). Cf. Suid. in *Μαρῖνος*. Quot quantaeque pugnae commissae fuerint de Politia, Timaeo, cet., non est hujus loci enarrare. Procl. *in Polit.* init. (p. 149. Ed. Basil. 1534.). *Λέγω τοίνυν πρὸ τῆς ἀναγνώσεως τῆς πολιτείας ἑπτὰ ταῦτα χρῆναι τὸν πρεπόντως αὐτῆς ἀκουσόμενον διεγνωκέναι. πρῶτον μέν, ὅς ποτέ ἐστιν αὐτῆς ὁ σκοπός, ὃν δὴ καταδήσεσθαι κατ᾽ ἐκείνους πολλάκις οἶδα κανόνας εἰπὼν περὶ τῆς εὑρέσεως τῶν ἐν τοῖς Πλατωνικοῖς διαλόγοις σκοπῶν.* et quae sqq.

([1]) De Arist. scriptorum *διαιρέσει* eaedem turbae: v. David. *ad Categ.* p. 24, sq. Simplicius *ad Cat.*, cll. *Praef. ad* VIII. *Phys.*, laudat Adrastum *περὶ τῆς Τάξεως τῶν Ἀριστοτέλους συγγραμμάτων*. Andronicus Rhodius (Fabr. *Bibl. Gr.* T. III, p. 464.), teste Porphyr. *V. Plot.* c. 24, primus Aristotelis et Theophrasti libros *εἰς πραγματείας διεῖλε, τὰς οἰκείας ὑποθέσεις εἰς ταυτὸν συναγαγών*; idem ille, qui, ut refert Plut. *V. Syll.* p. 468, Aristotelis scripta, a Tyrannione concinnata, primus divulgavit, et *πίνακας* eorum fecit. Hujus quoque discipulum Boëthum *digerendis Aristot. scriptis operam navasse* recte concludit Menag. (*ad Diog.* V, 21.) ex Ammonio *in Cat.* Non multum didici a Buhle. *Ueber die Ordnung der Aristotelischen Schriften überhaupt* (in Heerenii *Biblioth. d. alten Litt. u. Kunst.* X Stück. Titze vero: *de Aristotelis operum seric et distinctione.* Lips. 1826. non novimus.

([2]) Olympiod. *in Alc. pr.* prax. 11. (a Petito, *Miscellan.* III, 2. ex Ms allatus; *Cousinii* enim et *Creuzeri* Edd. uti non datur): *ὅτι πρῶτον αὐτὸν* [*Ἀλκιβιάδην*] *δεῖ τάττειν τῶν Πλατωνικῶν ἁπάντων. ὡς γὰρ ἐν Φαίδρῳ φησὶ, γελοῖόν ἐστι τὸν ἐπειγόμενον τὰ ἄλλα γινώσκειν, ἑαυτὸν ἀγνοεῖν· δεύτερον ὅτι δεῖ τὰ Σωκράτους Σωκρατικῶς μανθάνειν· λέγεται δὲ ὁ Σωκράτης ἐκ τοῦ Γνῶθι σεαυτὸν ἐπὶ φιλοσοφίαν ἐλθεῖν.*

([1]) Sine dubio propter dialogi argumentum, in quo Theages, sapientiae cupidus, tradit se Socrati erudiendum.

([2]) In Thrasylli *tetralogiis* primum obtinet locum; causam infra videbimus.

([3]) Hunc enim falso primum a Platone compositum esse ratiocinabantur: v. Olympiod. *V. Plat.* p. 584. Diog. L. III, 38. Sed de his forsitan inferius aliquid adspergemus.

([4]) Procl. *in Plat. Tim.* I, s. f. (p. 61. extr. *Proculiann. Commentt.* adnexorum Platonis Ed. Basileensi 1534.).

σεως ἐπιστρέφουσαν εἰς τὰς ἀρχάς. ταῦτα μὲν οὑτωσὶ συμβολικῶς ἂν ἀκούσειας, καὶ ἴσως οὐ σφόδρα περιέργως. ἀπορήσειε δ'ἂν τις, τίνος ἕνεκα μὴ προτέτακται τῆς πολιτείας ὁ Τίμαιος ἐν ᾧ τοῦ τε ἄλλου κόσμου γένεσις παραδίδοται, καὶ τοῦ ἀνθρώπων γένους.....καὶ εἰ μὲν ἀπ' αὐτοῦ τέλους ἀρξάμενος, κατήντα ἐπὶ τὸν Τίμαιον, ὅς τις ἐστὶ τῇ φύσει πρῶτος, εἶχον μὲν ἂν τα εἰωθότα λέγειν, ὅτι διδασκαλίας ἕνεκα πρῶτα παραδέδοται τὰ πρῶτα πρὸς ἡμᾶς, ὕστερον ὄντα κατὰ φύσιν. νῦν δὲ τό τε μέσον πρῶτον, καὶ τὸ πρῶτον μέσον τετάχθαι δοκεῖ. καὶ εἰ μὲν ὑπὸ τῶν διασκευαστῶν ἡ τάξις αὕτη παραδέδοτο, ἧττον ἂν ἦν θαυμαστόν, νῦν δὲ αὐτὸς ὁ Πλάτων οὕτως ἔοικε πράττειν. κ.τ.λ. Hactenus Proculus.

Non defuerunt tamen et quibus ita cor modeste sane, nimisve timidule, esset situm, ut, cum Platonem philosophicis forcipibus constringi neutiquam posse intelligerent, distribuerent scripta ejus, habito respectu ad solam eorum f o r m a m, minus jam solliciti quosnam deos Silenorum illa involucra tegerent, in talia, quae *dramata* imitentur, aut quae *narrationi* inserviant, aut denique ex utroque genere *mixta*. Οὐ λανθάνει δ' ἡμᾶς, inquit Laërtius (¹), ὅτι τινὲς ἄλλως διαφέρειν τοὺς διαλόγους φασί. λέγουσι γὰρ αὐτῶν τοὺς μὲν δραματικούς, τοὺς δὲ διηγηματικούς, τοὺς δὲ μικτούς. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τραγικῶς μᾶλλον ἢ φιλοσόφως τὴν διαφορὰν τῶν διαλόγων προσωνόμασαν. Nil tamen arduum est Iapeti generi. Sic et in hisce ineluctabilibus angustiis, cum diu multumque jam, frustra tamen, Philosophorum et grammaticorum filii, superstructo Pelio Ossa, *aetherium Platona* arietarent: jam jam collapsuris supervenerunt tempestivae suppetiae a viro quodam haud mediocriter cato, qui jam propter id unum, medius fidius, *Platonicae philosophiae columen* — sic enim nescio

---

(¹) Diog. L. III, 50. Plut. *Quaest. Symp.* VII, 8. p. 711, B. Procl. *in Polit.* p. 352. init. δεύτερον δὲ ἦν οὖν τοῦτο κεφάλαιον, ὁποῖόν ἐστι τῶν λόγων τὸ εἶδος, καθὸ διέθηκεν τὴν πραγματείαν ταύτην ὁ συγγραφεύς. τοῦτο δὲ οὐ πολλῶν οἶμαι δεήσεσθαί μοι λόγων, ἀλλὰ ἀναμνῆσαι χρῆναι μόνον ὅτι καὶ αὐτὸς ἐν τῷδε τῷ συγγράμματι τρία φησὶ εἴδη λέξεως ὑπάρχειν. τὸ μὲν δραματικὸν καὶ μιμητικὸν οἷον τῆς κωμῳδίας λέγομεν καὶ τραγῳδίας. τὸ δὲ ἀφηγηματικὸν καὶ ἀμίμητον, οἷον καὶ οἱ τοὺς διθυράμβους γράφοντες, καὶ οἱ τὰς ἱστορίας τῶν γεγονότων, ἄνευ προσωποποΐας μετέρχονται. τρίτον δὲ τὸ μικτὸν ἐξ ἀμφοτέρων, οἵαν καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν, τὰ μὲν ταῖς τῶν πραγμάτων ἀφηγήσει, τὰ δὲ ταῖς τῶν προσώπων μιμήσεσι πεποικιλμένην. Cf. Ast. *Plat. Leben u. Schr.* p. 43, sq. «Alle diese Eintheilungen beruhen aber auf blosser Willkühr: denn mit eben dem Grunde, wenn nicht mit grösserem Rechte, könnte man diese drei Gattungen annehmen: 1) erzählende (diegematische, in denen also die epische Form hervortritt); 2) dramatische, und zwar, nach der Stimmung des Ganzen, a) tragisch — dramatische (wie der Phaedon ist), b) komisch — dramatische (wie der Protagoras u. a.), c.) mimisch dramatische, in denen tragische Erhabenheit (das Enthusiastische und Dithyrambische) mit

quis Albinum appellavit — cluere meruit. Etenim pronunciavit ille philosophiam Platonicam exhibere formam perfectissimi orbis, qui, ceu sacrosancta illa *ancilia*, ita *ab omni parte est recisus, ut quocunque notes oculis angulus omnis absit.* Quocirca tulit rogationem ad congerones suos, ut jam suspenderentur supervacanei labores et sudores. Nam incassum circuli exordium quaesiveris. Idcirco nil aliud agendum esse statuit, quam ut circumspicias, undenam loci promptissimum aptissimumque, pro **habitu** tuo captuque, queas pedem in circulum istum inferre. En audias ipsum. *Φαμὲν οὖν*, sic loquitur **Albinus** (1),

---

komischer Ironie und Persiflage gemischt ist (wie in den meisten Gesprächen, vorzüglich im Phädros); 3) dialektische (wie der Theaetetos, Sophistes, Politikos u. a.). Da jedoch auch in den erzählenden Gesprächen das Dialogische und Dramatische hervortritt, der einfache, erzählende Vortrag also in Handlung und lebendiges Wechselgespräch sich verwandelt (wie im Parmenides. Protagoras, der Politia u. a.), und umgekehrt........ so können wir keine besondere Gattung gemischter Gespräche annehmen» — **Aristotelis** quoque scripta cum in *dramatica* atque *αὐτοπρόσωπα* dividerent, non defuerunt, qui **altera** eorum *exoterica*, **altera** vero *esoterica* esse opinarentur: v. **Philopon**. *ad Arist. categ.* p. 35. B. s. f. Cf. **Biese**, *Phil. Aristot.* T. I. p 567, sqq. et in calce 1. vol.; **Stahr**, *Aristotelia*. Leipz. 1832. T. II, p. 235, sqq. **Osann**, *Beitr. zur gr. u. röm. Litt.* Lips. 1835. Vol. I. p. 153, sqq. **Krische**, l. l. p. 13, 15.

(1) *Isagog.* c. 5, 6. p 129. V. de **Albino Fabr.** *Bibl. Gr.* T. III. p. 157, sq. Refert **Fischerus** (in limine libelli Albiniani), **ejusdem** *περὶ τῆς τάξεως τῶν βίβλων τοῦ Πλάτωνος* nondum editum opusculum reperiri in biblioth. *St. Antonii*; **Porphyrii** praeterea scriptum *de dispositione librororum Platonis* delitescere in biblioth. *Augustana* et *Scorialensi.*

Πλάτωνος λόγου μὴ εἶναι μίαν καὶ ὡρισμένην ἀρχήν· ἐοικέναι γὰρ αὐτὸν τέλειον ὄντα τελείῳ σχήματι κύκλου. Ὥσπερ οὖν κύκλου μία καὶ ὡρισμένη οὐκ ἔστιν ἀρχὴ, οὕτως οὐδὲ διὰ τοῦ λόγου. Οὐ μὴν διὰ τοῦτο ὁπωσοῦν, καὶ ὡς ἔτυχεν, ἐντευξόμεθα αὐτῷ. Οὐδὲ γὰρ, εἰ δέοι κύκλον γράφειν, ἀφ' οὑτινοσοῦν σημείου ἀρχόμενός τις γράφει τὸν κύκλον, ἀλλ' [desunt pauca, quae sic sarcit Fabricius: *a quo ipsi maxime est ad manum: similiter etiam ut*] *ἀφ ἧς ἂν ἕκαστος ἡμῶν σχέσεως ἔχῃ πρὸς τὸν λόγον, ἀρχόμενος ἐντεύξεται τοῖς Διαλόγοις. Σχέσεις δὲ πλείους καὶ διάφοροί εἰσιν ἡμῶν πρὸς τὸν λόγον. κ. τ. λ.* Quae *σχέσεις* deinceps recensentur ab Albino.

III.

Verum enim vero non deerunt forte, qui et hic etiam nobis objicient, quod videlicet ipsae hae, quibus Platonicorum prosapia ad internecionem cruciabatur, contentiones atque argutiae, utut sint erroneae, nihilo magis tamen pro meris sciolorum commentis et nugis sunt habendae. Quin immo documento etiam esse nobis possint, obtinuisse olim integram vegetamque notitiam connexionis et compagis, qua Plato scripta sua construxerit, atque ad certam aliquam philosophandi libellam exegerit. Quippe qua insania homines agerentur, ut tam mordaciter sese enecarent, nisi quod,

Platonis redintegrandi cupidi, memoriam rei, temporum decursu sive oblitteratam, sive umbraticorum doctorum adulteratam faecibus, postliminio reducere ac revocare studerent?—Bona verba, quaeso! Quin jam parvulum superest, ut manu tibi sublata receptui canamus. Age modo ostendas, memoriae istius, quae te patronum habet, ubi ubi pusilla saltem vestigia esse conspicua. At hoc quidem haud immerito a te postulari posse videtur. Etenim si Platonis haeredes umquam fuerint compotes clavis illius, qua et singula ejus volumina recludi quasi possent, et universi etiam aedificii postes aperiri: tantine, dii boni, eos umquam torporis atque inertiae fuisse credam, ut thesaurum illum sibi e gremio elabi atque extorqueri essent passi? Tantaene incuriae eos arguam, ut non in sanctissimo potius Capitolii sui adyto servarent eam et custodirent, utpote Platonicae incolumitatis ac salutis tutissimum Palladium? Nam cum ejusmodi ingenium sit viri, ut, dixeris Gygaei annuli dominum, ubi eum maxime capere et amplecti expectas, ex oculis manibusque tibi ceu nubes effluat: non minus equidem crimini junioribus verterim desultoribus, eos tanquam Pentheum aliquem, ut apud quendam legitur, sic Platonem dilacerasse; quam magis culpaverim veteres illos, quod data sibi aliquando copia cavendi Academiae domino—hoc autem qua, quaeso, ratione firmius effici potuerit, quam ut demonstrata fuerit et divulgata Platonicorum scriptorum cohaerentia, tum disciplinae, quam deponerent formula?—omnium id virium intentione exsequi gravarentur. Neve dicas, aut non fuisse iis de talibus loquendi idoneam oblatam ansam, aut, etiamsi loquerentur, defuisse tamen locum hujus rei scientiam scriptis exponendi. Quandoquidem et disserere de talibus haud ita spernen-

dum erat Platonicae sapientiae pocillatoribus; et, si reputaveris, quam ferax atque operosa fuit vetus Academia vel in Platonis vita enarranda, vel in placitis ejus illustrandis aut excolendis, vel denique in Platonicis libris interpretandis ([1]): si, inquam, hoc consideraveris, mirum ni confiteare, nequaquam esse veri simillimum, eos, qui cetera omnia et scirent, et in ora

---

([1]) De *Speusippo* Laert. IV, 4: *καταλέλοιπε δὲ πάμπλειστα ὑπομνήματα, καὶ Διαλόγους πλείονας* (eadem fere Suid. s. v.); ab eo *Platonis περίδειπνον* laudat Id. III, 2, ubi v. Menag. cll. Jonsio. *Scr. Hist. Phil.* I, 10, 1: quem fortasse librum respicit Appulej. *Habit. doctr. Pl.* s. in. ubi «*Speusippum domesticis instructum monumentis*» allegat. Memoratur praeterea Diogeni IV, 5 ejusd. *Πλάτωνος ἐγκώμιον*, cll. Hieronymo, *c. Jovian.* I. ap. Menag. ad l. Avunculi *De Bono* scholas descriptas Speusippum reliquisse supra significavimus (p. 10. n.); quem librum Krische (*Theol. Lehr* p. 255), eundem esse vult, cujus, sub titulo *περὶ φιλοσοφίας*, mentionem injecit Laert. IV, 4. Utrum vero qui IX, 23 *περὶ τῶν φιλοσόφων* vocatur idem sit ac ille, quem *φιλόσοφον* Diog. IV, 4 nominaverit, ut suspicatur Menag., nec ne: perinde nobis est. Phavorinus auctor est ap. Laert. IV, 5 Aristotelem, qui etiam scripsit *singularem librum περὶ τῆς Σπευσίππου καὶ Ξενοκράτους*: Id V, 25, et Anon. Menag., Speusippi libros tribus talentis emisse.—*Xenocratis*, inter alios plurimos foetus, profertur *βίος Πλάτωνος* a Simplicio, *ad Arist. Phys.* IX. f. 265, B: p. 427; cll. p. 470, 474. collect. Brandis.; ubi, procul dubio, inducto more, disputatum est etiam de scriptis Philosophi. Habet praeterea Laert IV, 12 *περὶ βίου*, ad q. l. Menag: «*περὶ βίου legit Aldobrandinus; qui vertit De vita. placet περὶ βίων. Memini alicubi me legere Platonis Vitam scripsisse Xenocratem*». Ex Platonisne *auditione* derivatus sit

populi mitterent, id unum, quod tamen gravissimum esse videtur, aut ignorasse, aut notum celasse. Sin vero haud negaveris eos notitiam suam scriptis etiam mandatam reliquisse, in facili tamen fuisse contenderis, ut prodita memoria inter posteros evanuerit: verum vero a te certe id datum tunc nobis iri speramus, si jam talis rei memoria umquam oblivione conteri potuerit, at tertio saltem quartove a Platone Academiae rectori ([1]) eam haud obscuratam adhuc mansisse. Sed vide mihi *Saturninum* illum, ut Tullius *Arcesilam* appellavit (*Acad. pr.* c. 5.)— de hoc enim mihi nunc sermo — qui antiquae Academiae perturbato otio, *novam*, ut cum Lactantio loquar (*Inst.* III, 4.), *non philosophandi philosophiam constituit.* Et vero non hoc equi-

---

περὶ ἀγαθοῦ liber, cujus ibidem mentio? nescio. — Item *Polemo*, quem, una cum Zenone, Arcesilas audivit, ἱκανὰ συγγράμματα teste Laert. IV, 2 reliquit, et Suid. s. v.: πολλὰ μὲν συνέγραψε βιβλία· οὐδὲν δὲ αὐτοῦ φέρεται.—De *Cratete* v. Apollodor. ap. Laert. IV, 23. — *Crantor* denique, cujus περὶ πένθους (Id. IV, 27) *aureolum libellum* vocat Cic. *Ac. post.* c. 44, reliquit ὑπομνήματα εἰς μυριάδας στίχων τρεῖς, ὧν τινά τινες Ἀρκεσιλάῳ προσάπτουσι: Laert. IV. 24. Idem etiam, quo Arcesilas usus est praeceptore et amasio (Numen. ap. Eus. *Pr. Ev.* XIV, 5, p. 729; c. 6. p. 731, A; Laert. IV, 29.) *primus Platonis exegetes* dicitur a Proculo, *in Tim.* I. p. 24. (Heraclitus jam Antisthenem et Heraclidem Ponticum nactus est interpretes: Laert. IX, 15. cll. indice eor. script.).

([1]) Sub judice relinquatur, num Polemo, qui Xenocrati successit, a Cratete et Crantore (v. Clinto. *Fast. Hel.* p. 379, n. *h.* Krüger.) susceptus fuerit, an statim ab Arcesila, ut est ap. Euseb. *Pr. Ev.* XIV, p. 726, B. C:

dem, ita me Juno amet, si in me esset, in Arcesila improbarem, quod ille, philosophia, quam Plato constituerat eversa, imo, si placet, ipsius etiam Platonis scripta praetendens, *negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum quod Socrates sibi reliquisset* ([1]). Illud modo comprehendere non possum, unde ista magis quam Gracchana vecordia, aut mire callida calliditas, ut, si Platonis rationem non solummodo ex aliorum ore acceptam retulisset, immo etiam ex Ipsius scriptis, quae haud repugnanti manu trivisse perhibetur ([2]), ita eam percepisset, ut et singulos sermones, quibus inter se conglutinati essent vinculis intelligeret, et, ad quam cuncti philosophiae institutionem tenderent, cognitum compertumque sibi habuisset; si hoc reliquos etiam Acaedemiae cives, ut par fuit, non latuisset; ille tamen, pessumdata communi omnium consensione, ignorantiae professo-

---

Πολέμωνα γάρ φασι διαδέξασθαι Ἀρκεσίλαον, ὃν δέ κατέχει λόγος ἀφέμενον τὴν Πλάτωνος δογμάτων, ξένην τινὰ, καί, ὥς φασι, δευτέραν συστήσασθαι Ἀκαδημίαν.

([1]) Cic. *Ac. pr.* 12, 45. Ritter l. l. T. III, p. 557: «Tout en rapprochant Arcésilas de Platon, nous trouvons fort vraisemblable, qu'il lui arrive comme á beaucoup d'autres, de ne pouvoir trouver dans les ouvrages de ce philosophe des principes certains sur la science. La manière dubitative, suivant laquelle presque tout y est exposé, de telle sorte que l'auteur n'y admet les résultats d'une recherche que conditionnellement, par rapports à d'autres recherches ultérieurs, purent facilement porter Arcésilas à croire, que les principes de Platon n'étaient que de conjectures spirituelles». Cf. Hegel. *Gesch. d. Phil.* T. II, p. 520, sq. Ed. pr.

([2]) Laert. IV, 32 ἐῴκει δὴ θαυμάζειν καὶ τὸν Πλάτωνα, καὶ τὰ βιβλία ἐκέκτητο αὐτοῦ.

ribus non Empedoclem modo, *qui furere videbatur*, accensere, aut tenebricosum Heraclitum, aut alium quempiam: verum etiam ipsum Platonem proferre auderet (1). Quid, si ne hoc quidem Phaedonis auctori concesserit, quo nonnulli a *volatica academia* Platonem defendi posse rebantur, Socratis scilicet discipulum non nisi *perpetuam libris suis Magistri ironiam esse persecutum* (Cic. *Ac.* II, 23.); sed omnibus eum ita condemnaverit calculis, ut *in cujus libris*, quemadmodum habet Cicero (2), *nihil affirmetur, et in utramque partem, non*

(1) Cic. *Ac. post.* 5, 14; cll. Plut. *adv. Colot.* p. 1121, sq: *Τοῦ δὲ Ἀρκεσιλάου τὸν Ἐπίκουρον οὐ μετρίως ἔοικεν ἡ δόξα παραλυπεῖν. ἐν τοῖς τότε χρόνοις μάλιστα τῶν φιλοσόφων ἀγαπηθέντος. μηθὲν γὰρ αὐτὸν ἴδιον λέγοντα, φησὶν ὑπόληψιν ἐμποιεῖν καὶ δόξαν ἀνθρώποις ἀγραμμάτοις ἅτε δὴ πολυγράμματος αὐτὸς ὢν καὶ μεμουσωμένος. ὁ δὲ Ἀρκεσίλαος τοσοῦτον ἀπέδει τοῦ καινοτομίας τινὰ δόξαν ἀγαπᾶν, καὶ ὑποποιεῖσθαι τῶν παλαιῶν, ὥστε ἐγκαλεῖν τοὺς τότε σοφιστὰς, ὅτι προστρίβεται Σωκράτει καὶ Πλάτωνι καὶ Παρμενίδῃ καὶ Ἡρακλείτῳ τὰ περὶ τῆς ἐποχῆς δόγματα καὶ τῆς ἀκαταληψίας, οὐδὲν δεομένοις, ἀλλὰ οἷον ἀναγωγὴν καὶ βεβαίωσιν αὐτῶν εἰς ἄνδρας ἐνδόξους ποιούμενος. ὑπὲρ μὲν οὖν τούτου Κολώτῃ χάρις, καὶ παντὶ τῷ τὸν Ἀκαδημαϊκὸν λόγον ἄνωθεν ἥκειν εἰς Ἀρκεσίλαον ἀποφαίνοντι.*

(2) *Acad. pr.* extr. Narrat praeterea Tullius, *Finn.* II, init. *Socraticum disputandi morem, cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilam eum revocasse: instituisseque, ut ii, qui se audire vellent, non de se quaererent, sed ipsi dicerent, quid sentirent; quod cum dixissent, ille contra. Sed qui audiebant, quoad poterant, defendebant sententiam*

jam Socratica ironia ac dissimulantia, sed seria rataque sibi persuasione, *multa disserantur, de omnibus quaeratur, nihil* tamen *certi dicatur?* At hoc non aliud esset, quam medio frequentique foro latrocinari! Nonne satius sit suspicari, nullam in Academia, non dico jam adolescentiori illa, sed ne in vetustissima quidem, talem fixam fuisse tabulam, quae auctoritatis suae pon-

suam. etc. (cll. eod. *de Orat.* III, 18.); ad quem locum jam supra (p. 8. n. 4 extr.) annuimus, cum dicere voluimus, ex solo Laertio, IV, 16, a Rittero adducto, nondum sequi, Xenocratem jam perpetua in docendo usum esse oratione, a qua Platonem abhoruisse, Socratico instituendi ritu retento, suspicati sumus. Haec vero proba philosophandi ratio quin apud Arcesilam in disputandi *in utramque partem* licentiam degeneraret, fieri neutiquam potuit. Laert. IV, 28 (cll. 32. 36.): *πρῶτος* [Arcesilas] *τὸν λόγον ἐκίνησε τὸν ὑπὸ Πλάτωνος παραδεδομένον καὶ ἐποίησε δι᾽ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως ἐριστικώτερον*; quocum cf. Numen. ap. Eus. *Pr. Ev.* XIV. 5, 6. p. 730. Quocirca ad *theses* (Cic. *Orator.* c. 14. cll. *Parad.* proem. 5. Seneca, *Contr.* I. pr.) declamitasse dicitur: Laert. IV. 40. cll 42; quod etiam Polemoni haud insolitum fuit: Id. IV. 19; quin Xenocratis quoque *libros esse de ratione loquendi multos, et multum probatos* ait Cic. *Ac. post.* c. 46 extr. cll. Laert. IV, 13. Quarum thesium vestigia delitescunt fortasse in iis, qui Platonis nomen mentiuntur *Ὅροις*: cf. Sext. Emp. *Pyrrh.* II, 28, et alias; Laert. VI, 40. Procl. *Tim.* II, p. 72, l. 39; p. 79.—Tamen maxime in Peripato id rhetoricae exercitationis genus factitabatur, ab ipso Aristotele introductum: v. Laert. V, 3. cum Menagio; et in indice librorum Ar. ap. Diogenem et Anonymum in *Vita* plurimi *thesium* libri recensentur cf. Suid. in *θέσις*.—De Theophrasto: Laert. IV, 27. V, 44. ubi v. Menagium.

dere et Arcesilam in alia, quam quae ab eo de Platone prolata sit, opinione continere valeret, et simul etiam Academicis arma porrigere posset, quibus novicii commenti obrueretur fabricator? Quandoquidem, quod nonnulli fabulabantur ([1]), mediae Academiae conditorem obtentui sibi tantummodo sumpsisse dubitationem atque ignorantiam, quo efficacius tirones suos in vero investigando exerceret, in tamen intimis mentis suae praecordiis a Platone non destitisse, cujus etiam scripta maturioribus explicaret: id

([1]) Sext. Emp. *Pyrrh.* I, 234: *εἰ δὲ δεῖ καὶ τοῖς περὶ αὐτοῦ λεγομένοις πιστεύειν, φασὶν ὅτι κατὰ μὲν τὸ πρόχειρον Πυῤῥώνειος ἐφαίνετο εἶναι, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν δογματικὸς ἦν· καὶ ἐπεὶ τῶν ἑταίρων ἀπόπειραν ἐλάμβανε διὰ τῆς ἀπορητικῆς εἰ εὐφυῶς ἔχουσι πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν Πλατωνικῶν δογμάτων, δόξαι αὐτὸν ἀπορητικὸν εἶναι, τοῖς μέντοι γε εὐφυέσι τῶν ἑταίρων τὰ Πλάτωνος παρεγχειρεῖν· ἔνθεν καὶ τὸν Ἀρίστωνα εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ «πρόσθε Πλάτων, ὄπιθεν Πύῤῥων, μέσσος Διόδωρος», διὰ τὸ προσχρῆσθαι τῇ διαλεκτικῇ τῇ κατὰ τὸν Διόδωρον, εἶναι δὲ ἄντικρυς Πλατωνικόν.* Cf. Laert. IV, 33. Juvat et beatissimum Augustinum nugari. «*Audite*, inquit (c. *Acad.* III, 17. T. I, p. 173, sq.), *non quid sciam, sed quid existimem*» ..... Audi! «*Haec et alia hujusmodi mihi videntur inter successores ejus* [sc. Platonis, quem *Civit. D.* VIII, 11, et alias, *librorum Moysis expertem non fuisse* suspicatur] *quantum poterant esse servata et pro mysteriis custodita .... Itaque Zenonem principem Stoicorum, cum jam quibusdam auditis et creditis, in scholam relictam a Platone venisset, quam tunc Polemo retinebat, suspectum habitum suspicor, nec talem visum cui Platonica illa velut sacrosancta decreta facile prodi committique deberent, priusquam dedocuisset ea, quae in illam scholam ab aliis accepta detulerat .... Quamobrem .... prudentissime atque utilissime mihi videtur Archesilas, cum illud late serperet malum* [i. e. Zenonis disciplina], *occultasse penitus Academiae sententiam, et quasi aurum inveniendum quandoque posteris obruisse. Quare .... instituit vir acutissimus atque humanissimus* [eugepae!] *dedocere potius quos patiebatur male doctos, quam docere quos dociles non arbitrabatur. Inde illa omnia nata sunt, quae novae Academiae tribuuntur, quia eorum necessitatem veteres non habebant*». etc. Cf. Plut. l. s. l.

etiam, ut alia nonnulla ([1]), excogitatum esse equidem crediderim a sequioribus dogmaticis, quo recentem Academiam Platonis auctoritate exemploque privarent. Id vero eo impunius fieri potuit, quod ipse Arcesilas nil scriptum reliquisse dicitur ([2]). Immo ne hoc quidem mihi conjectare concesserim — quod tamen et ipsum, nisi fallor, pro nostra causa fuerit — jam Arcesilam segregasse, quod posteriore tempore factitatum esse vidimus, *dogmaticos* Platonis dialogos, adaptatos, ut est apud Alcinoum, πρὸς διδασκαλίαν καὶ πρᾶξιν τοῦ ἀληθοῦς, ab illis sermonibus, qui non nisi πρὸς γυμνασίαν καὶ ἀγῶνα καὶ ἔλεγχον τοῦ ψεύδους essent compositi ([3]); ita, ut his uteretur ad

([1]) Simili fere modo de Menedemo, Platonis, ut fertur, discipulo,—quem sectatus etiam esse Arcesilas dicitur: Numen. l. l. p. 729, s. f.,—narrat Heraclides, ap. Laert. II, 135. ἐν μὲν τοῖς δόγμασι Πλατωνικὸν εἶναι αὐτὸν, διαπαίζειν δὲ τὰ διαλεκτικά.

([2]) Laert. IV, 32; cll. 24. Suid. in ἔπεχε.

([3]) V. supr. p. 20. Subolent tamen nobis Porticum vel recentiorem Academiam, quae exhibuit Laert. III, 52: ὁ τοίνυν Πλάτων περὶ μὲν ὧν κατείληφεν, ἀποφαίνεται, τὰ δὲ ψευδῆ διελέγχει, περὶ δὲ τῶν ἀδήλων ἐπέχει. Haec etiam exscripsit Suid. l. l. et Hesych. Mil. *V. Plat.*

praeparandos tirunculorum animos, illis vero ipsam Platonicam institutionem traderet. Quippe probabile quidem nobis videtur, hoc demum novo instituto fundato factum esse, ut qui ab Arcesila essent, Platonem *scepticis* adnumerarent; qui vero contrariam sequerentur rationem, purum putum *dogmaticum* eum agnoscerent; donec sint tandem exorsi, Solonea illi plectendi lege, qui, ut semper in civium dissensionibus fieri assolet, ad utramque sententiam sese accommodantes, Philosophum nostrum modo a scepticorum partibus stare persuadere sibi studuerint, modo cum dogmaticis eum tenere judicarint.

IV.

Sed mittamus seditiosum istum, qui Platonis auctoritatem *κατατρίβειν* molitus est tribunum. Convertamus nos ad neutiquam jam novarum cupidum rerum, immo antiquarum unum omnium maxime studiosum—ad Aristophanem Byzantium, quem Platoni operam suam navasse accipimus. Age, videamus, num forte ex hoc aliud quid extorquebimus, quam quod Arcesilao extorsimus.

Prodidit Diogenes Laërtius (III, 61.), Aristophanem fuisse ex eorum numero, qui sermones Platonis per *trilogias* digerere studuerunt. *Ἔνιοι δέ*, sic scribit Laërtius, *ὧν ἐστι καὶ Ἀριστοφάνης ὁ Γραμματικός, εἰς Τριλογίας ἕλκουσι τοὺς διαλόγους.*

Quod indicium vereor, ne quis novo sibi documento sumi posse affirmet, ante aetatem *βιβλιακῶν χαρακιτῶν*—ut Sillographus Alexandrinos doctores risit—neminem adhuc de Platone in quadrum numerumque redigendo somniasse. Etenim si jam Academiae patres conscripti Platonicos libros in unum artis disciplinaeque corpus coagmentassent atque ordinassent: sive a cujusvis alius cohortis stipatoribus tale quid fuisset tentatum: aut fallor, aut nunquam sibi permitteret Alexandrinus veterator non in philosophorum potius auctoritate delitescere, quam, ad alios calculos Platone vocato, perturbare ac tollere orbes illos, in quos involutus ab iis Noster esset atque dispositus.—siquidem in trilogiis ejus nullum philosophici cothurni vestigium deprehendisse nobis videmur.— Idque eo minus, nostra quidem sententia, Aristophanes auderet, quo major in eo litterarum erat peritia, at, ut solet in grammaticorum corporibus, tenuior philosophiae vena fluebat (¹).

(¹) Testatur Varro, *de L. L.* VI, init. in Aristophane fuisse *plus litterarum, quam acuminis.* Philologum aut grammaticum non eodem ac philosophum animo Platonem scrutari, plus quam manifestum est; siquidem, ut ait Seneca *Ep.* CVIII, *in eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertum.* Quare non ex aliorum quidem interpretum collegio Aristophanem fuisse asseruerim, quam quos notavit Sext. Emp. *c. gram.* [*Math.* I.] §. 301: *ποῦ γάρ τις δύναται τῶν ὀφρυομένων γραμματικῶν Ἡράκλειτον συνεῖναι καὶ Πλάτωνι παρακολουθῆσαι λέγοντι* «...[*Tim.* p. 35.]...» *καὶ ἤδη τὰ ἑξῆς περὶ τὴν λέξιν, ἃ πάντες οἱ Πλάτωνος ἐξηγηταὶ ἐσίγησαν.* Neque enim erat, cur Fabric., ad l., Procl. Chalc. Philop. alios contra Sextum convocaret; cum eos tantummodo exe-

Cum ita Platonem ante Ptolemaeorum aetatem ad philosopharum disciplinarum regulam lineamque exigi coeptum esse negemus; ne ulla quidem alia ratione, magis jam externa illa et grammatica, vel singula ejus scripta pensitata, vel universa esse digesta contendere animus fuerit. Adeo, ut non multum quidem nobis desit, quin ipsissimum hunc Aristophanem eum esse affirmemus, qui Platonis libros, a nemine adhuc in unius communionem structurae coalescere jussos, *primus* conglobare atque inter se componere in mentem sibi induxerit. Etenim si jam antiquiores Grammatici, quorum unguibus jam tum quidem Noster scalpebatur ([1]), τὸν θεῖον suis laqueis constrinxissent; quid ni

getas in animo, sine dubio, haberet Empiricus, quos supra §. 59 tetigerat. cf. Procl. *in Tim.* I. p. 10: ἐπὶ δὲ τὴν λέξιν ἐπανίωμεν καὶ τὰ ῥήματα τοῦ Σωκράτους. ἐν δὴ τούτοις πολλὴ τῶν ἐξηγητῶν ἀμφισβήτησις, γραφόντων καὶ ἀντιγραφόντων περὶ μιᾶς τινος στιγμῆς. καὶ πρὸς τὴν στιγμὴν ταύτην ἄλλως καὶ ἄλλος ἐξηγουμένων τὸν τῆς πολιτείας σκοπόν. etc. Sic in Epicuro ab Aristophane *dictionem* fuisse taxatam refert Diog. L. X, 13. cll. III, 65. Ejus *Comment. in Aristot. de animal.* laudat Artemidor. *Oneirocrit.* p. 103. Ed. Rigaltii. Ceterum jam Eratosthenes. Aristophanis praeceptor, Platoni operabatur: v. Theo Smyrn. *Arith.* p. 2 et 12. cf. Fabr-Harl. *B. Gr.* T. IV, p. 126. Callimachus item et Duris: Platonem terebant. Procl l. l. p. 28.

([1]). Si modo hoc jam sequatur ex Antigono Carystio, Aristophani fere aequali: Diog. L. III, 66. Τὰ μὲν σημεῖα ταῦτα καὶ τὰ βιβλία τοσαῦτα· ἅπερ, Ἀντίγονός φησιν ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος, νεωστὶ ἐκδοθέντα, [Steph reponi jubet ἐκδοθέντι, ἅ?!] εἴ τις ἤθελε διαγνῶναι, μισθὸν ἐτέλει τοῖς κεκτημένοις. ubi v. Casaub.; cf. Gräfenhan, *Gesch. d. klass. Philologie im Alterthum.* II. vol. p. 92, sq. Bonn. 1844.—

Aristophanes id operae, quod ab illis in medium fuerit prolatum arriperet potius, quam suopte marte periclitaretur in Platone ad talem legem adigendo, de qua sibimet ipsi non multum sane constaret, equidem non video. At vero illud per trilogias Philosophum digerendi institutum Aristophani originem suam debere, admodum nobis credibile videtur. Quandoquidem si jam antea id negotii fuisset ventilatum: unde nam, pro dii immortales, tanta modestia et religio in ardelionum ista male feriata natione, ut quaternis modo quinisve, quae a Laertio producuntur ([1]), trilogiis contenti manerent? Nonne magis cum eorum indole fuit consentaneum, ut, semel sacrilega manu Platoni illata, non prius quiescerent, quam omnia ejus scripta, per fas et nefas, quemadmodum postea factum esse videbimus, in terniones sexcenties convolverent revolverentque? Neque enim in Aristophane talem sobrietatem reprehenderis, quin sodalium vestigia ipse legere esset moratus, si cunctum ab iis jam Platonem *triplicatum* cerneret.

Verum enim vero cui nam gentium Platonem digerendi et commodior necessitas, quam Byzantio Λογοδαιδάλῳ, et ap-

Clearchus jam Solensis, Aristotelis discipulus, cujus etiam *Platonis encomium* laudatur Laertio III, 2., scripsit περὶ τῶν ἐν τῇ Πλάτωνος Πολιτείᾳ μαθηματικῶς εἰρημένων: Athen. IX, 393, A. ejus γλῶσσαι v. ap. Schol. Venet. *ad Il.* ψ, 81. Alia praeterea ejusdem farinae adducere non vacat.

([1]) Καὶ πρώτην μὲν [trilogiam] τιθέασιν, ἧς ἡγεῖται Πολιτεία, Τίμαιος, Κριτίας· δευτέραν, Σοφιστής, Πολιτικός, Κρατύλος· τρίτην, Νόμοι, Μίνως, Ἐπινομίς· τετάρτην, Θεαίτητος, Εὐθύφρων, Ἀπολογία· πέμπτην, Κρίτων, Φαίδων, Ἐπιστολαί· τὰ δ' ἄλλα καθ' ἓν καὶ ἀτάκτως.

tior ansa fuerit oblata? equidem non invenio. Ut etiam nescio, an ulla magis homini litterato, consilium id exsecuturo, in proclivi posita fuerit statera, ex qua philosophum nostrum suspenderet, quam trilogiarum illud institutum. Nam cum Aristophanes in *philosophorum canonem* (¹), pro Museo Alexandrino concinnandum, Platonem inferre esset aggressus, nil mirum, si Platonis libros catervatim quasi et promiscue, ut hucusque ferebantur, in congium suum infundere noluit. Quocirca eos, probi topiarii more, ita componere atque adornare instituit, ut communi aliqua junctura ordineque tenerentur. — Paene eodem studio, quo Pindarum etiam per areolas diduxit (²), aut, quo exempli gratia Homerus inter circumseptas ripas coactus est suas trahere undas.— Quia vero animadvertit, quod Plato ipse semel bisve certo quodam, nescio artificione et lusu, an potius altiori aliquo consilio, ternos vel quaternos sermones argumenti affinitate consociaverit (³): facile inde sibi persuasit, qui scribendi initium ex pangendis

(¹) V. Stahr. *Arist.* T. II, p. 65, sqq. Gräfenhan. l. l. p. 185, sq. Quin Callimachi jam *pinax* Platonem contineret, non dubito.

(²) Thom. Mag. *Vita Pind.* *Ἄριστον μὲν ὕδωρ προτετάχθαι ὑπὸ Ἀριστοφάνους τοῦ συντάξαντος τὰ Πινδαρικά, διὰ τὸ περιέχειν τοῦ ἀγῶνος ἐγκώμιον καὶ τὰ περὶ τοῦ Πέλοπος, ὅς πρῶτος ἐν Ἤλιδι ἠγωνίσατο.* Cf. de cura Aristophanis in *Hesiodum* Schol. *Hes. Theog.* 68.

(³) De *Politia, Timaeo, Critia* agetur infra. Simili modo ex *Theaeteto* et *Sophista* suspensus est *Politicus*, hunc vero excepturus *Philosophus* promittitur; quem nullum alium esse nisi *Parmenidem*, voluerunt Ast, l. l. p. 240, et Zeller, *Plat. Stud.* p. 194, sq.; Arist. Theaeteto substituit *Cratylum*.

tragoediis sumpsisset (¹), cum etiam in philosophicis componendis dialogis, non valde, hercle, illis a dramatum natura recedentibus, antiquam *tragoediae* legem esse omnino secutum. Qua persuasione fretus, pro viribus Platonis sermones diribere est conatus (²).

Jam vero ut Alexandrinum bibliothecarium primum extitisse conjiciebam, qui trinitates istas Platonicas consarcinaverit;

qui etiam *1-mus* in ea tetrade Thrasylli, cujus *4-tus* est *Politicus*, sequente *Parm.*, cf. Nicomach. Gerasen. *Arithm. Inst.* I, p. 6 (Ed. Wechel. Paris. 1538.): *Πλάτων δὲ ἐπὶ τέλει τοῦ τρισκαιδεκάτου τῶν Νόμων* [*Epinomis!*], *ὅπερ τινὲς φιλόσοφον ἐπιγράφουσιν, ὅτι ἐν αὐτῷ περισκοπεῖ, ποταπὸν δεῖ τὸν φιλόσοφον εἶναι.* Sic Thrasyl. nomida *Philosophum* etiam vocat: Laert III, 60.

(¹) V. Aelian. *Var. Hist.* II, 30. Aul. Gell. *N. Att.* XIX, 11. nec non, de *poetices* Plat. *studio* in universum, Olympiodorus Laertius Anonymus Heerenii: in *Platotonis Vitis*, Suidas et Aristides; cf. Hermann. *Gesch. d. Plat. Phil.* L. I, p. 30, sq.

(²) Binas illas supra commemoratas trilogias, quarum Aristophani ipse quidem Plato auctor fuerit, quae subsequitur tertia, fluctuat jam propter *Epinomidis* suspectam fidem, nec non imperfecti *Minois*. Quarta conflata est ex dialogis, quorum scenam etsi quidem Plato in eo temporis puncto collocavit, ubi Socratis fatalis causa ageretur, tamen, qua singuli editi fuerint, aetas discrepat. Eodem pacto conatus est Grammaticus et quintum ternionem conficere; sed tertium eum membrum defecit: *Epistolas* posuit!—Ergo Aristophanes jam forte extitit auctor discipulo suo Aristarcho, et hoc etiam posteriori Apollonio, ut *satyrico dramate* ex tragoediarum (Aeschyli) didascaliis evulso, *tetralogiam* in *trilogiam* mutarent: v. Schol. Aristoph. *Ran.* v. 1155; cll. Bernhardyo, *Grundr. d. Gr. Litt.* T. II, p. 666, sq. Halle 1845.

sic etiam suspicor, eas, semel ab eo constitutas, a nemine postea e loco umquam suo fuisse motas. Nam quo pacto negavi Aristophanem fuisse passurum, ut subsisteret in quinque istis ternionibus, si jam ejusdem consilii praecursores habuisset; eodem etiam jure asseverarim Diogenem, cum ejus diligentiam non facile id latuerit, neutiquam supersessurum fuisse, quin plura nobis fercula—vel saltem unum aliquod, sed Aristophaneo illo exquisitius—depromeret, si Platonis libri plures nacti fuissent diribitores, qui, nisi felicius, at audacius saltem in eodem cum Aristophane curriculo decertassent.—Cujus rei causam non equidem in eo potissimum positam esse putaverim, quod Platonicorum mysteriorum investigatores aut ipsi invento, aut inventi doctissimo auctori magnam tribuerent fidem; quam propterea magis, quod non haberent, quid ipsi in hac ἀπορίᾳ certius proferrent; aut maxime, quia Aristophaneum consilium non tale existimarent, in quod ipsi data opera inquirerent. Praesertim cum aliam escam, multo quidem sapidiorem, oblatam sibi haberent. Nam sub ista demum tempora exortos esse opinor, qui scripta Platonis et singula ad philosopham trutinam, ut supra narrabamus, exigerent, atque ex universis etiam sibi quisque Platonicae disciplinae centones farcire periclitarentur. Non ergo mirum, si Aristophanis ἕρμαιον, ex quo nullum sibi proventum expectarent, jacere siverunt.

Et quidem post Aristophanem qui primus, quantum colligere potuimus, ad Platonicorum dialogorum *didascalias* conficiendas animum appulerit, Dercyllides ille—vel quisquis tandem fuerit—quem secutus est Thrasyllus; ille tam parum Aristophanis institutum probavit, ut prorsus id sustulerit, quandoquidem trilogias cum *tetralogiis* permutavit (¹). In quo novo commento idcirco, quod intelligam, magis sibi homines placuerunt, quod post trinas tragoedias quartum *satyricum drama* doceri—quae justa antiquae tragoediae fuerat conditio—haud ignorarent, et Platonem etiam ipsum viderent, *Atlanticae fabulae*, quae tertias in genuina Platonica triade obtinet partes, quartum praeterea *Hermocratem* subjicere in animo habuisse, *Politico* vero *Philosophum*. Nisi praeterea suspicari lubet, ad *quaterniones*, quos numero *novem* conscripserunt, *ternionibus* praeferendos haud nullius quidem fuisse momenti etiam potestatem illam et virtutem *nonarii*, nec non *quaternarii* numeri, quam cum Pythagorei in multis sibi naturae rebus animadvertere viderentur, librorum quoque summam, nescio

(¹) Albin. *Isagog.* c. VI: εἰσὶ δὲ οἱ κατὰ τετραλογίαν διελόντες αὐτούς ... Ταύτης τῆς δόξης εἰσὶ Δερκυλλίδης καὶ Θράσυλλος. Platonem jam ante Varronis aetatem in tetralogias distributum fuisse, collegeris ex Varrone, *de L. L.* VII, 37. si modo locus sanus esset. Ast. *Pl. L. Schr.* p. 47: «Für eine Bestätigung der Thrasyllischen Anordnung der Gespräche könnte man dieses halten, dass M. Terentius Varro (im sechsten Buche *de lingua latina* S. 88. T. I. Bip.) den *Phädon*, der nach des Thrasyllus Anordnung das vierte Gespräch der ersten Tetralogie ist, so anführt: *Plato in quarto de fluminibus apud inferos quae sint, in heis unum Tartarum appellat: quare Tartari origo graeca.* S. das. Scaliger. Th. II. S. 197. und P. Victorius. *V. Lectt.* XVIII, 2. S. 461.» Cf. Menag. *ad Diog.* p. 160. Sed probabilior est Scioppii lectio. quam etiam C. O. Müllerus in suum Varronem accepit, «*in quattuor fluminibus*», ut intelligerentur infernalia ista flumina. de quibus Plato in Phaedone. Ceteroquin Varronem in philosophorum scriptis nequaquam

qua symbolica significatione, ad eam dirigere haud ita erant alieni ([1]).

---

hospitem fuisse, documento jam est insignis locus ex libro ejus *De Philosophia* ap. August. *Civ. D.* XIX, 1, sqq.; praesertim cum ipsius tempore florerent haud ita abjecti Platonis mystagogi: ut Arejus Didymus (Jons. *Phil. Scr.* III, 1, 3.) Philo, alii. Num forte in idem collegium Dercyllides asserendus? nescio, neque aliquid de ejus aetate certi statui posse credo; nam alius certe est ab eo Spartanorum ad Pyrrhum legato, cujus responsum regi datum inseruit Plut. *Apopht.* p. 219. E. Et forte delitescit alicubi sub nomine Dercylli (de quo Voss. *Hist. Graec.* III, p. 428. Ed. Westermann. Lips. 1838.), aut alibi. Lectus est Dercyllidis XI *de Philosophia Pl.* liber Porphyrio, quod scimus ex Simpl. *ad Phys.* I, f. 54; allegatus semel et Proculo, *in Tim.*, ubi aegrotantem Timaei interlocutorem Platonem esse ipsum contendisse dicitur. Thrasyllo tamen quin aetate fuerit superior, non dubito. — Thrasyllum hunc consentaneum est non differre a *Mendesio* illo Pythagorico, qui, ut habet Schol. Juv. *in Sat.* VI, v. 575. «*multarum artium scientiam professus, postremo se dedit Platonicae sectae, deinde mathesi, qua praecipue viguit apud Tiberium, cum quo sub honore ejusdem artis vixit*». (V. Fabr-Harl. *B. Gr.* IV, p. 166. Voss. l. l. II, 7. p. 232, ubi tamen loci facile augeri possint. F. Sevin, *rech. sur la vie et les ouvrages de Thrasylle*, in Mém. de l'Acad. d. inscr. T. X. non consuluimus). Laudatur Thr. a Diogene in *Plat.* 1, cll. IX. 37, 38. Idem etiam Thr. Democriti scripta ἀναγέγραφε κατὰ τάξιν, οὕτως ὡσπερεὶ καὶ τὰ Πλάτωνος, κατὰ τετραλογίαν: Laert. IX, 45.

([1]) Sic de Plotini librorum divisione Porphyr. *Vit. Plot.* c. 24, quem afferam ex *translatione* Ficiniana: (*Plotini de reb. phil. libri*, 1540.). «*Quoniam vero Plotinus*, ait Porphyrius, *nobis commisit, ut ordinem emendationemque librorum suorum curaremus* [τὴν διάταξιν καὶ τὴν διόρθωσιν τῶν βιβλίων]: *ego autem et illi vivo etiam promisi, et ceteris pollicitus sum efficere; imprimis quidem operae pretium fore censui, ne libros permitterem ita jacere permixtim, sicut deinceps sunt temporis successione compositi* [οὐ κατὰ χρόνους ἐᾶσαι φύρδην ἐκδεδομένα]: *sed quemadmodum Apollodorus Atheniensis Epicharmi Comoedias in volumina* [τόμους] *decem collegit, et Andronicus Peripateticus Aristotelis et Theophrasti libros* εἰς πραγματείας διεῖλε, τὰς οἰκείας ὑποθέσεις εἰς ταυτὸν συναγαγών: *sic et ego quattuor et quinquaginta Plotini libros in sex enneadas sum partitus*, τῇ τελειότητι τοῦ ἓξ ἀριθμοῦ καὶ ταῖς ἐννεάσιν ἀσμένως ἐπιτυχών, ἑκάστῃ δὲ ἐννεάδι τὰ οἰκεῖα φέρων συνεφόρησα, δοὺς καὶ τάξιν πρώτην τοῖς ἐλαφροτέροις προβλήμασιν. — De Eustachii, qui Porphyrii condiscipulus fuit, *Ploliniana* ἐκδόσει v. Fabr. *B. Gr.* T. V. p. 696. Quod vero Porphyrius Platonis etiam διατάξεις non commemoravit, id propterea factum esse videtur, quod nulla certa inter Platonicos *diascenastas* de hac re sententia constabat. Nam et Dercyllidem haud ignotum Porphyrio fuisse, documento est. quod, Hermodori locum, unicum fere quem habemus, ex hoc scriptore adduxit (v. s. p. 10. n.); et Thrasylli bis mentionem fecit in Vita Magistri c. 20, 21.—Sic Aul. Gell. *Noct. Att.* III, 10. s. f.: «*Haec Varro de numero septenario scripsit admodum conquisite ..... tum ibi addit se quoque jam duodecimam annorum hebdomadem ingressum esse, et ad eum diem septuaginta hebdomades librorum conscripsisse: ex quibus aliquammultos, quum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse*». Quot *pragmatiae* Aristotelis fuerint? nescio; Epicharmi vero *decem volumina* itidem *tetralogias* fuisse, penes me

Dercyllides qua fortuna rem gesserit, tacent litterae. Thrasyllianarum vero IX quadrigarum lemma exhibuit Laertius.

Ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν, inquit Laertius (¹), ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν. καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν· οὕτως καὶ τῆς φιλοσοφίας ὁ λόγος, πρότερον μὲν ἦν μονοειδὴς, ὡς ὁ φυσικός· δεύτερον δὲ Σωκράτης προσέθηκε τὸν ἠθικόν· τρίτον δὲ Πλάτων, τὸν διαλεκτικὸν, καὶ ἐτελεσιούργησε τὴν φιλοσοφίαν. Θράσυλλος δέ φησι καὶ κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν ἐκδοῦναι αὐτὸν τοὺς διαλόγους (²) [οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις, ὧν τὸ τέταρτον ἦν σατυρικόν·] τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο Τετραλογία. 57. Εἰσὶ τοίνυν, φησίν, οἱ πάντες αὐτῷ γνήσιοι διάλογοι ἓξ καὶ πεντήκοντα· τῆς μὲν Πολιτείας εἰς δέκα διαιρουμένης· ἣν καὶ εὑρίσκεσθαι σχεδὸν ὅλην παρὰ Πρωταγόρᾳ ἐν τοῖς Ἀντιλογικοῖς, φησὶ Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῆς Ἱστορίας δευ-

---

suspicio est. Nam constat Anonymo *De Comoedia* teste (cll. Suid. s. v.) servata fuisse *quadraginta* dramata Epicharmi. Alia exempla congerere supervacaneum est.

(¹) Laert. III, 56—61., quem locum exspoliavit Suid. in *Τετραλογία*; cll. eod. in *Πλάτων*.

(²) Quattuor festorum nomina a sciolo inserta esse acute vidit Wyttenbach. in *Bibl. critica*. T. II, P. III, p. 56 Cf. Böckh. *Trag. Gr. princ.* p. 208. Idem, *Ueber die Lenäen, Anth. Dionys.* p. 98. sq. in *Abhandl. d. Berl. Acad.* Philos. Kl. 1816—1817. Berlin 1819.

τέρῳ· τῶν δὲ Νόμων, εἰς δυοκαίδεκα. Τετραλογίαι δὲ ἐννέα, ἑνὸς βιβλίου χώραν ἐπεχούσης τῆς Πολιτείας· καὶ ἑνὸς τῶν Νόμων. Πρώτην μὲν οὖν τετραλογίαν τίθησι, τὴν κοινὴν ὑπόθεσιν ἔχουσαν· παραδεῖξαι γὰρ βούλεται, ὁποῖος ἂν εἴη ὁ τοῦ φιλοσόφου βίος. Διπλαῖς δὲ χρῆται ταῖς ἐπιγραφαῖς ἑκάστου τῶν βιβλίων· τῇ μὲν, ἀπὸ τοῦ ὀνόματος τῇ δὲ, ἀπὸ τοῦ πράγματος. 58. Ταύτης τῆς τετραλογίας, ἥτις ἐστὶ πρώτη, ἡγεῖται Εὐθύφρων, ἢ περὶ ὁσίου· διάλογος δ' ἔστι πειραστικός. δεύτερος, Ἀπολογία Σωκράτους, ἠθικός· τρίτος, Κρίτων, ἢ περὶ πρακτέου, ἠθικός· τέταρτος, Φαίδων, ἢ περὶ ψυχῆς, ἠθικός. Δευτέρα τετραλογία, ἧς ἡγεῖται Κρατύλος, ἢ περὶ ὀρθότητος ὀνομάτων, λογικός· Θεαίτητος, ἢ περὶ ἐπιστήμης. πειραστικός· Σοφιστὴς, ἢ περὶ τοῦ ὄντος, λογικός· Πολιτικὸς. ἢ περὶ βασιλείας. λογικός. Τῆς τρίτης ἡγεῖται Παρμενίδης. ἢ περὶ ἰδεῶν, λογικός· Φίληβος, ἢ περὶ ἡδονῆς, ἠθικός· Συμπόσιον, ἢ περὶ ἀγαθοῦ, ἠθικός· Φαῖδρος, ἢ περὶ ἔρωτος, ἠθικός. 59. Τῆς τετάρτης ἡγεῖται Ἀλκιβιάδης, ἢ περὶ ἀνθρώπου φύσεως, μαιευτικός· Ἀλκιβιάδης δεύτερος, ἢ περὶ προσευχῆς, μαιευτικός· Ἵππαρχος. ἢ φιλοκερδὴς, ἠθικός· Ἀντερασταὶ, ἢ περὶ φιλοσοφίας, ἠθικός. Τῆς πέμπτης ἡγεῖται Θεάγης. ἢ περὶ φιλοσοφίας, μαιευτικός· Χαρμίδης, ἢ περὶ σωφροσύνης, πειραστικός· Λάχης, ἢ περὶ ἀνδρείας, μαιευτικός· Λύσις. ἢ περὶ φιλίας, μαιευτικός. Τῆς ἕκτης ἡγεῖται Εὐθύδημος, ἢ ἐριστικὸς, ἀνατρεπτικός· Πρωταγόρας, ἢ σοφισταὶ, ἐνδεικτικός·

Γοργίας, ἢ περὶ ῥητορικῆς, ἀνατρεπτικός· Μένων, ἢ περὶ ἀρετῆς, πειραστικός. 60. *Τῆς ἑβδόμης ἡγοῦνται Ἱππίαι δύο· πρῶτος, ἢ περὶ τοῦ καλοῦ· δεύτερος, ἢ περὶ τοῦ ψεύδους, ἀνατρεπτικοί· Ἴων, ἢ περὶ Ἰλιάδος, πειραστικός· Μενέξενος, ἢ Ἐπιτάφιος, ἠθικός. Τῆς ὀγδόης ἡγεῖται Κλειτοφῶν, ἢ προτρεπτικὸς, ἠθικός· Πολιτεία, ἢ περὶ δικαίου, πολιτικός· Τίμαιος, ἢ περὶ φύσεως, φυσικός· Κριτίας ἢ Ἀτλαντικός, ἠθικός. Τῆς ἐννάτης ἡγεῖται Μίνως, ἢ περὶ νόμου, πολιτικός· Νόμοι, ἢ περὶ νομοθεσίας, πολιτικός· Ἐπινομὶς, ἢ νυκτερινὸς σύλλογος, ἢ φιλόσοφος, πολιτικός· Ἐπιστολαὶ τρισκαίδεκα, ἠθικαί*.....61. *Καὶ οὗτος μὲν οὕτω διαιρεῖ, καί τινες·* Haec Diogenes, cujus verba, etsi quidem longiuscula, percurrere integra ne fastidieris. At vero utriusque, Dercyllidem puta et Thrasyllum, rationes nullo satis idoneo niti fundamento, jam Albinus perspexit. *Καὶ τάττουσι δὲ*, inquit ille (1), *πρώτην τετραλογίαν περιέχουσαν τὸν Εὐθύφρονα, καὶ τὴν Ἀπολογίαν καὶ τὸν Κρίτωνα, καὶ τὸν Φαίδωνα. Τὸν μὲν οὖν Εὐθύφρονα, ἐπεὶ καὶ ἐπαγγέλλεται τῷ Σωκράτει ἐν αὐτῷ ἡ δίκη· τὴν δὲ Ἀπολογίαν, ἐπεὶ ἀναγκαῖον αὐτῷ ἀπολογήσασθαι ἐπὶ*

(1) *Isagoge*, l. l.—Nescio, in quanam opinione fuerit A. Arnold: *Platons Werke, einzeln erklärt und in ihrem Zusammenhange dargestellt.* Erstes Heft. Etiam altero titulo hoc: *Platons Euthyphron, Vertheidigung des Socrates, Kriton, Phaedon* [en Thrasylleus quaternio!], *Ion, Menon und Laches, dem Sinne und Zusammenhange nach entwickelt. Als Einleitung in das Studium des Platon und der Philosophie überhaupt.* Berlin. 1835.

τούτοις· τὸν Κρίτωνα, διὰ τὴν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ διατριβήν· ἔπειτα τὸν Φαίδωνα, ἐπεὶ ἐν αὐτῷ τέλος τοῦ βίου λαμβάνει ὁ Σωκράτης.....Δοκοῦσι δέ μοι προσώποις καὶ βίων περιστάσεσιν ἠθεληκέναι τάξιν ἐπιθεῖναι· ὅ ἐστι μὲν ἴσως χρήσιμον πρὸς ἄλλο τι, οὐ μὴν πρός ὃ ἡμεῖς νῦν βουλόμεθα· βουλόμεθα δὲ τὴν ἀρχὴν καὶ διάταξιν διδασκαλίας τῆς κατὰ σοφίαν εὑρεῖν. *Primi* quaternionis qui fuerit nervus, suopte jam sponte apparet. Jam minus arbitraria est *secundae* tetralogiae conditio, quae ita est completa, ut *Theaeteto Sophistae* et *Politico*, ipsius Platonis manu consociatis, *Cratylus* praefigeretur (1). Forte, quod hunc esse *Philosophum* existimaret, a Platone post Politicum promissum, quippe qui Platonem scilicet Heracliti disciplina imbuisset. Eadem licentia ad *sextam*, ex. gr., quadrigam juncti tres Sophistae et *Meno*. *Octava* constitit ex cognatis *Politia Timaeo Critia*, praeeunte *Clitophonte*, nullam, censeo, aliam ob causam quam quod in eo jam *Justitiae* injecta mentio, et Clitophon ad Thrasymachum conferre sese dicit.—Quare forte et, cum alii alium, qui morbo cum Socrate Critia Timaeo Hermocrate sermones miscere prohibitus a Platone dicitur, interlocutorem suspicarentur (Porphyrius *Theaetetum*, Dercyllides *Platonem*, ut in *Phaedone!*), fuerunt, ut Ptolemaeus Platonicus, qui eum *Clitophontem* esse statuerent (2).—Quae

(1) Non ita communi aliquo cum Thrasyllo consilio Aristophanem etiam, ut vidimus, *Theateto* ex secunda sua trilogia in quartam rejecto, in *Sophistae* atque *Politici* societatem *Cratylum* ascivisse dixerim, quam librariis potius oscitantibus lapsum hunc imputaverim.

(2) Procl. *in Tim.* I, p. 6, s. f. sq. Quis ille Ptolemaeus

agmen claudit *nona*, in ejus culeum conjecti sunt tres argumenti quidem tenore sibi affines sermones, non ejusdem tamen fidei; quibus subjectae *Epistolae* (¹), cum alias videlicet commodior locus iis dari non posset. Reliquas persequi longum fuerit.

Verum vero Thrasyllus non eo tantummodo nomine praeverterat commilitones, quod alium forte dialogorum per tetralogias disponendorum censum instituerct; nae ille quidem hoc etiam inter ceteros praestitit, quod unicuique quaternioni peculiarem assignavit finem et propositum. Primae saltem, quam *Philosophae vitae* describendae dicaverat, argumentum dedit jam nobis Diogenes, nec non Albinus. Quin etiam ceterae eodem pacto comprehensae fuerint, non est, cur dubitetur. Et singulos praeterea dialogos non solummodo ab argumento ductis titulis notavit, verum etiam ad quem quisque *characterem* pertineret—quam rationem, praeter *didascalicam* hanc, de qua nunc agimus, in libris Platonicis describendis obtinuisse supra narratum est—sedulo notavit (²).

---

sit? nescio. Fuerunt cognomines *Epicurei* duo Melas et Leucus: Laert. IX, 25. Item *Cyrenaeus*, a Timone tertius, a quo Timonis secta instaurata: Id. IX, 115, 116. Fuit et *Peripateticus*, Longini nec non Porphyrii aequalis (Fabr-Harl. *B. Gr.* III, p. 504.). Alius ap. Apollon. Alex. *de Conjunct.* p. 508, ab Imm. Bekkero, in *Anecdotis Graec.* Berol. 1816. Vol. II, ex corrupto codice editus, cum agnomine ἀναλογητικοῦ, quae vox immerito offendit Vv. Dd. ap. Laert. I, 17. Quinque vel sex Ptolemaeos *Grammaticos* invenies ap. Fabr. *B. Gr.* I, p. 520, sqq.—Ceterum memini me ap. Heusdium quoque in *Initiis* legere, etsi nullo ibi teste allato, Clitophontem praemittendum esse Politiae; sed ipsum V. D. librum evolvere nunc non datur. Aliam suspicatur fuisse causam Schleiermacherus (*Introd.* p 32), cur in Thrasylliana tetralogia Clitopho praeiret Politiae.

(¹) Sic Alcinous quoque in sua *Isagoge* c. 33, Epistolas *tertiam*

Immo in tetralogiarum quoque ordinanda acie certam ille sibi quandam legem praescripsisse videtur. Nam vix dixerim ab eo temere factum esse, ut praefigeretur tetralogia, quae κοινὴν ὑπόθεσιν habeat, ut ea praepararentur quasi philosophantium animi, et non nisi in postremo collocatae essent loco eae tetrades, quae quidem Platonicae disciplinae nucleum quasi contineant. Thrasyllum tamen alieniorem fuisse a consilio cunctos dialogos ita concatenandi, ut unius syntagmatis conficeretur summa et cyclus, jam propter Albinianum de eo judicium declarare non vereor.

Quae cum ita sint,—nisi nobis tantummodo esse videri dicis,—quo jure et pacto trilogiarum, nec non tetralogiarum institutum Platoni vindicari possit, equidem non perspicio (¹). Idque

---

Civitatem, ἐκ διορθώσεως, complecti hariolatur. Cf. Dionys. Hal. *de Demosth. vi.* p. 178 init. Sylb.: δημηγορία δὲ οὐδεμία [sc. ἐστὶ Πλάτωνι]· πλὴν εἴ τις ἄρα τὰς Ἐπιστολὰς βούλεται δημηγορίας καλεῖν.

(¹) Platonis libros per novem Thrasylli quaternitates disposuit in sua *principe* editione Aldus (Venet. 1513. cujus ille ope usus est, Musurum, etsi origine Cretensem, tamen in *Praef.* nostra inter Ficinos et Bembos inferre non sumus veriti, utpote cui, ut etiam aliis plurimis, Italia altera quasi patria fuerit.): Fischer. *Ed.* 3. *Plat.* p. 15, sq.—Thrasyllum videtur imitandum sibi proposuisse Joannes Serranus, ad cujus VI *syzygias* Henricus Stephanus (1578) suum Platonem accommodavit. Novas tetralogias instituit Samuel Petitus (*Miscell.* III, 2), quas *rationi maxime congruas* esse rebatur, quippe se *Alcinoi etiam Isagogen, ut Ariadnae filum secutum esse* praedicat. In *pirasticis* et *obstetriciis* dialogis *satyricum drama* invenisse sibi est visus, quibus propterea singulas tetralogias claudit.—«Doch so willkührlich, ait Ast. l. l. p. 48, sq. die von Thrasyllos und

eo quidem magis, quod, quarum ipse Plato auctor est, duorum ternionum, vel si vis, quaternionum compositiones, hae tantum abest, nostra quidem opinione, ut sint causa nobis, quod nonnulli Vv. Dd. voluerunt, propter quam ceteros etiam omnes dialogos eodem consilio descriptos consutosque existimemus, ut potius contrarium inde sequi videatur. Quandoquidem exemplar istud intuitus, jure meritoque in Platonicis tetralogiis non solummodo *argumenti* arctam affinitatem quaesiveris, quam cum *trilogiarum*

S. Petitus gemachte Anordnung nach Tetralogien seyn mag, könnte es gleichwohl gegründet scheinen, dass Platon mehrere seiner Gespräche nach Tetralogien gestellt habe, dass aber die wahre Ordnung durch die untergeschobenen Gespräche verwirrt und der enge Zusammenhang der Gespräche aufgelöst worden wäre; die Sage, dass Platon seine Gespräche tetralogisch geschrieben oder zusammengestellt habe, konnte sich erhalten und den Thrasyllos eben bestimmt haben, die Gespräche wieder nach Tetralogien zu ordnen was ihm aber nicht gelingen konnte, da er das ächte mit dem unächten zusammenstellte.... Die Idee der Tetralogie ist daher nicht schlechthin verwerflich, da durch sie die Andeutung des Platon selbst bekräftigt wird; nur wird sie zu weit ausgedehnt, wenn man alle vorhandene Gespräche des Platon tetralogisch ordnen und nach blossem Gutdünken zusamenstellen will». Cf. Winckelmann. *Prolegom. in Plat. Euthyd.* Lipsiae, 1833, p. XLIV, n. *a.* «*De tetralogiis, quibus Platonem dialogos edidisse mihi persuasum est, hic disserere longum esset. Quam vero Thrasyllus instituit dialogorum in tetralogias divisionem, cum plane arbitraria sit, neque ulla certa ratione nitatur, nihili est facienda. Sic temere conjunxit ille Euthydemum, Protagoram, Gorgiam et Menonem qui effecerunt sextam tetralogiam, teste Diogene L. III, 59*». Aliter Schleierm. *Intr.* p. 22, sq.

jam natura postulare videatur ([1]), tamen et ipsa inter singulos dialogos aegre demonstrari possit; sed praeterea *externum* etiam confinium sermonum, per tetralogias digerendorum, nexum atque *aetatis* eorum necessitudinem. Sin secus hoc fuerit, non possem tunc abstinere, quin de *Platonis inconstantia* clamarem, quippe qui semel et bis suum in singulis libris jungendis artificium aperte et liquide cum pronunciavit, ceterorum quae esset conditio celaverit invidiose ac reticuerit.

Verum enim vero non equidem infitias iverim, posse aliquem, Adolphi Schoellii, V. cl., qui *Sophoclearum* atque *Euripidearum* tragoediarum delectum habuit, acumine et doctrina armatum, Platonicarum quoque tetralogiarum aciem et callide comparare et argute instruere. Nihilo tamen minus διάταξιν hanc non diversae equidem farinae esse duxerim, ac Democriti *tetralogias*, ab eodem illo Thrasyllo consutas, aut Aristotelis et Theophrasti *pragmatias*, aut *enneadas* Plotini, aut, ne plura, Livianas *decadas*, et si qua etiam alia hisce similia nominari possunt. Videlicet, ut diximus, habet in se nescio quid solliciti atque anxii eorum natura, qui sellularias exerceant artes, ex quorum genere sunt umbratici philosophiae doctores, philologi, grammatici, aliique ejusdem tribus veteratores, ut, quod feliciorum ingeniorum dives illa et libera fuderit vena, id ipsi cum pulvisculo quasi conquirant, excutiant, atque, matinae apis more vel frugilegae formicae, ita per areolas et cellulas disponant, ut et captu scilicet sit commodius, et obtutu etiam jucundius.

([1]) Godofr. Hermann: *Opusc.* T. VII, p. 193. Argumenti affinitatem Thrasyllus in Plat. tetralogiis maxime spectasse videtur.

Haud ergo injuria — ut tandem unde exorsi sumus revertamur — viri docti, cum Schleiermacherus etiam ad istam veterum heluonum rationem inclinare videretur, etsi quidem initio tanta existimatione opinio ejus est usa, ut Imm. Bekkerus et genuinos, quos credidit, Platonicos libros ad eam omnes in sua *Platonis editione* (1816—1818) disponeret, et in suspectorum etiam dijudicanda fide germanico Interpreti morem gereret; tamen hodie vix ullum superesse credo, qui non sentiat, opinionem hanc nimia potius, qua Vir egregius pollebat, ingenii alacritate esse excusandam, quam Ipsius auctoritate protegendam.

V.

Itaque, post Schleiermacherum qui primus Platonis omnes libros edendos, interpretandos, convertendos, denique digerendos etiam susceperat, Astius, is, decessore haud indignus, tantum abfuit, ut ei obsequeretur, ut censoria rationem ejus virgula notaret totamque repudiaret. Sed non satis habens, quod Platonicis scriptis systematis alicujus expleri numeros Schleiermachero denegaret; ipse vir sagacissimus in contrariam de iis, Schleiermacheriana tamen non facile praestantiorem, delapsus est sententiam. «Wir behaupten», canit Astius ([1]), «dass den Schriften

([1]) *Platons Leben u. Schriften*, p. 40; qui liber prodiit 1818; sed jam antea Astius egerat de Schleiermachero in *Zeitschr.*

des Plato weder ein philosophisches System zum Grunde liegt, dessen einzelne Theile er in den verschiedenen Gesprächen abgehandelt hätte, noch auch ein wissenschaftlicher Zusammenhang sie verknüpft, vermöge dessen das eine Gespräch auf das andere sich bezöge, indem das im vorhergehenden nur Angedeutete oder Vorbereitete im nachfolgenden ausgeführt und entwickelt würde; dass also nicht ein äusseres Band (die fortschreitende Darstellung der Ideen und philosophischen Grundsätze) sie zu einem Ganzen verknüpft, sondern ihre Einheit eine innere, durch den Geist der Platonischen Weltanschauung gesetzte ist. Das Vollendete und in sich Harmonische (das καλὸν und ἀγαθὸν) ist die Centralidee des Platonismus, und dieses in den verschiedenen Sphären des Lebens, im menschlichen (ethischen und politischen) wie im natürlichen darzustellen und als alleiniges Prinzip des Lebens nachzuweisen, der erhabene Zweck der Platonishen Werke. Diese Idee wird aber nicht systematisch, in ihren einzelnen Momenten, ausgeführt, sondern sie lebt in den meisten Gesprächen, in denen das Historische und Politische vorwaltet, als unsichtbarer Geist, und wird oft nur als innere Gesinnung angedeutet».

Quae Astii verba ut ut sint et lepide dicta, et aliqua etiam ex parte vere cogitata, tamen temere in ea non jurabo. Quamquam enim Platonica sentiendi ratio ad *teleologicam*, si licet ita

f. Wissenschaft u. Kunst. Landsh. 1808. Vol. I, p. 101. sqq. cll. *Wiener Jahrb.* VII. Astianae vero rationis censuram habes ap. Hermann. *Plat. Phil.* p. 364, sqq.

eam appellare, sublimitatem vergat; verum tamen quod **praecipuum** est, id nondum **unicum** nominare equidem ausim. Et si Plato Philosophum suum, ut Astii verbis loquar (l. l. p. 37), nicht als bloss speculativen Denker, sondern zugleich als Menschen und als Staatsbürger nobis repraesentat; num propterea minus aut voluit, aut potuit, dum καλοκἀγαθίας sensus foveret, simul etiam reliquae philosophiae thesauros amplo corde concipere et nutrire? At hoc quidem Astius haud negaverit, modo ne tale quid primarium apud Platonem locum obtinere dicas. Attamen vir egregius opinatus praeterea esse videtur, quae Plato de rerum natura senserit, eorum accuratiorem scientiam intimis in **schola** disputationibus demandasse; in **scriptis** vero suis id quasi negotii praecipue egisse, ut vulgi animos ad arcana sua scholastica praepararet et componeret. «*Ex his omnibus*», ita vaticinatur Astius (¹). «*quae de vero scribendi usu ex ipso Platone attulimus, sine ulla dubitatione confirmaverim, eum in dialogis conscribendis proprias ac genuinas philosophiae suae rationes exponere et in medium proferre nunquam in animo habuisse, sed nonnisi id spectasse, ut aequales suos falsas eorum opiniones et errores corrigendo ad rectam philosophiae viam perduceret, praepararet quasi eorumque studium et amorem in vera philosophia colenda excitaret*».

Nae ego fallar potius turpiter, quam cuilibet credam, a Platone jam esse positum dissociabile illud inter vitae solem atque umbram palaestrae discrimen, ut quae inter parietes tironibus

(¹) *Platonis Phaedrus*, p. 146. Lipsiae, 1810; quem locum exscripsit **Hermann**. l l. p. 712.

propinaret, in fori etiam ea frequentiam emittere aut invideret aut vereretur. Jam vero si quid inter scripta ejus et disputata intercederet, id non tam genuinam et intimam sentiendi rationem spectare jure affirmaveris, quam solam formam atque externum modo eorum habitum. Cum videlicet philosophiam domi nudam, ut ita dicam, ostenderet Plato; in populum autem vestitam eam et unctam et calceatam produceret. Nam, quia nondum extitit discidium illud linguae et cordis, ut, quae docte et exquisite et subtiliter saperet, ea siccius ac truculentius exprimeret: videmus quidem Platonem, omnibus poeseos atque eloquentiae praestigiis in auxilium vocatis, ita scribere, ut scholastici magistri peram et baculum velaret Musarum peplo; non tamen perinde magis in singulis ejus libris certum semper consilium cumque universa etiam philosophandi ratione congruus finis desideratur. Adeo, ut nil impediat, quominus a Platonis capite averruncetur atque in malam mittatur crucem Ciceronianum illud «*nil affirmatur*», ad quod etiam Astio, **Tennemanni** praeterea interposito testimonio, confugere placuit (¹). Quandoquidem eo jam non parum, mehercule,

(¹) *Platon's L. u. Schr.* p. 39: «Platon war bei Abfassung seiner Gespräche so weit von der Absicht entfernt, sein System, wie man es fälschlich nennt, in ihnen niederzulegen und in jedem einen besondern Theil seiner Philosophie abzuhandeln, oder auch seine Grundsätze und Ideen nach und nach. bis zur vollständigen Darstellung zu entwickeln (wie einige unter den neuern gemeint haben), dass vielmehr in mehreren, wie im Protagoras und Gorgias. der philosophische Zweck fast ganz verschwindet. und nur das Geschichtliche und Platonische hervortritt. **Und hätte Platon eine bloss philosophische Tendenz gehabt, wie ist**

affirmatur, si demonstratum est, quae adversarius affirmet, ea nullo modo esse affirmanda.

Verum vero haec singulorum Platonis librorum competentia neque ex unius systematis cardine pendet, quod Schleiermachero jam Astius denegavit, neque etiam, quod Astius sibi postulavit, continetur pulcri solum et recti sensu, quo Ipsius incalesceret pectus, praecipiendo (¹). Etenim si reputaveris. Platonem omnia fere, quaecunque ad suum usque aevum a philosophis prolata fuissent, *paullatim* pertractando sapiendi *progressus* fecisse: jam hoc unum nequaquam redderet verisimile, eum aut per totam vitam ser-

es denkbar, dass er seinem eigenen Zwecke durch die dramatische Behandlung und politische Ausschmückung hätte entgegenwirken sollen? Die poetische Darstellung und dramatische Einkleidung wäre dann nichts als müssiger Prunk, der überdies dem philosophischen Zwecke schadete. Wie liesse sich ferner dieses in Verbindung setzen, dass wir in den meisten der Platonischen Gespräche kein philosophisches Resultat, keinen bestimmten Anfang und Endpunkt der Untersuchung finden, und dass in den mehresten nichts entschieden wird (S. Cicero, *Acad. Qq.* I, 13. das. Davis. und Tennemann im *Syst. d. Pl. Philos.* B. I, 5. 139 ff.)?» etc.—Quam parum Cicero Platonem caperet, v. Krische. *Theol. Lehren*, c. XIII. cf. Orell. *Onomast. Tull.* T. II. p. 464: «*Illud vero imprimis notandum, abstrusiores Platonis dialogos, velut Cratylum, Theaetetum, Sophistam, Politicum, Parmenidem, Philebum, a Cicerone nusquam memorari neque attingi.*» (de Aristotele v. Bähr. *Gesch. d. Röm. Litt.* Ed. 3. 1845. T. II. p. 421, n. 7.). Heusdii (filii): *M. Tullius Cicero φιλοπλάτων*, Traject ad Rhen. 1836. non legi.

(¹) Sic fere Eberhard: *De consilio philosophiae Platonis*, Halle, 1788, consilium hoc posuerat in excolendis et erudiendis ingenuis Atheniensium juvenibus!

viliter pressisse id, quod a Magistro suo juvenis olim acceperat, aut aliquod vel proprium in philosophandi toto curriculo praeque conceptum systema perpetuo esse persecutum.—Altera vero ex parte non magis etiam probari potest, Nostrum in scribendo aliquid singularis consilii sub oculis habuisse. Quoniam, qui sapere non ita coepit, ut certo scilicet annorum decursu studiis suis profligatis, accinctus jam tum omnique ex parte armatus quasi ad libros componendos accesserit; sed ita in philosophandi gravissimo negotio est versatus, ut rebus cognoscendis continuo intentus, etiam sub aetatis occasum cum Solone gloriari potuerit:

Γηράσκω ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος:

idem ille Plato tantae erat tamen et popularitatis et strenuitatis, ut non contentus sublimioribus sese et *ὑπερουρανίοις* sapientiae nebulis abscondere, terrenam etiam auram cupido pectore respiraret et vesceretur (¹). Quare, cum scribendo etiam se daret, fieri non potuit, ut aut solis *metaphysicis* obsaepiret se subtilitatibus aut uno aliquo *practico* concitaretur sensu.

Est ergo unitas illa et competentia in sola Platonis divina quadam ingenii dote quaerenda, cujus ope cum perpetuo sapiendi tractu sublime tendens et diversa conjungat, et conjuncta dissolvat suumque in sanguinem et succum convertat; tamen secum semper consentiens, nunquam sibi dispar, talis evasit, qualem nunc demiramur.

(¹) Quo nomine reprehensus etiam a Dionysio Hal. *Dem. vi.* p. 177: *τῆς δὲ ἀπειροκαλίας αὐτὸν* [sc. Plat.] *οὐδεπώποτ' ἐζήλωσα τῆς ἐν ταῖς ἐπιθέτοις κατασκευαῖς.... καὶ πάντων ἥκιστα ἐν οἷς ἂν εἰς πολιτικὰς ὑποθέσεις συγκραθεὶς. ἐγκώμια καὶ ψόγους, κατηγορίας τε καὶ ἀπολογίας ἐπιχειρῇ γράφειν. ἕτερος γάρ τις αὐτοῦ γίγνεται τότε, καὶ καταισχύνεται τὴν φιλόσοφον ἀξίωσιν. κ.τ.λ.*

VI.

Si res haec ita sese habeat, jure meritoque inde sequitur, et singulorum Platonicorum scriptorum conditionem, et universorum etiam justam dispositionem et continuationem, non alio modo inveniri recteque constitui posse, quam cognitis vicissitudinibus illis et mutationibus, quas, per varios in vero indagando decursus, subierit animus Platonis. Sed quod eadem est scripti et mentis cognatio, atque animae cum corpore: quidquid de studiorum Platonis et disciplinae vicibus atque incrementis repertum fuerit, eo ad scripta etiam accuratioribus aetatis notis designanda uti possumus; ex librorum vero, quorum tempora certius definiri possint contextu ac serie, certius etiam de indolis Platonicae oeconomia, ut ita dicam, augurari licebit. Et forte etiam apparebit, illam per temporum decursus invicem sibi succedentium librorum Platonicorum consequentiam, dum referat studiorum profectus tenoremque, simul etiam philosophici systematis efficere perpetuitatem et numerum. Quamquam enim Plato in scribendi quidem initiis nullum sibi systema suo informaverit animo; tamen haec fuit eximia quaedam ejus indolis virtus, quod pedetentim in philosophandi curriculo altius altiusque ascendens, eo demum pervenit amplitudinis, ut sua jam quasi sponte singula illa, quae in divinarum humanarumque rerum natura perspexerat momenta, in unam disciplinae compagem coalescere properarent ([1]).

([1]) Hegel, *Gesch. d. Phil.* T. II, p. 179: «Hätten wir noch

Hancce igitur rationem (*geneticam* eam proprio periculo appellavimus, sin magis placet *historicam* aut *chronologicam* voces) jam Tennemannus obiter quasi lacesserat ([1]). Post eum Socherus ([2]) jam quidem in se de industria id negotii suscepit, non tamen magis ex animi sententia est eo defunctus. Quapropter dubitatum est, an hac in quaestione ultra Tennemannum aliquid sapere umquam poterimus. Et hoc haud quidem esset negandum, si solam externam rationem in censum vocaveris, cum interno autem philosophandi filo eam comparare neglexeris ([3]). At utraque conjuncta de prospero rei eventu hodie non amplius esse desperandum, docent Stallbaumius et

---

das reine philosophische dogmatische Werk Platos, worüber Brandis [*de perditis Ar. libris de ideis et bono*?] geschrieben hat das unter dem Titel *von der Philosophie*, oder *von den Ideen* von Aristoteles citirt wird [v. spr. p. 10. n.], und er vor sich gehabt zu haben scheint, wenn er die Platonische Philosophie beschreibt und von ihr spricht [cf. Zeller, *Plat. Studien*, Die Darstellung der Plat. Ph. bei Aristoteles p. 199, sqq.]: so würden wir dann seine Philosophie in einfacherer Gestalt vor uns haben». — Sed Brandisii scriptum ignoro; quid vero ipsi opinemur, sub disputatiunculae finem fortasse dicemus.

([1]) In primo *Volumine* notissimi Tennemanniani operis: *System der Platonischen Philosophie*, Leipzig, 1792, alteram *sectionem* secundae *partis* habes: Ueber die Zeitfolge der Platonischen Schriften.

([2]) Socher, *Ueber Platons Leben und Schriften*, München. 1820; quo libro nunc aegre careo.

([3]) Schleierm. *Einl.* p. 18, sq: «Allein man entdeckt auf jenem Wege wenig bestimmte Punkte, sondern für die meisten Gespräche nur ziemlich unbestimmte Grenzpunkte, zwischen welche sie fallen müssen, ja oft ist nur nach Einer

C. Fr. Hermannus, qui, ut unice rationem hanc probaverunt, sic exemplis suis eam etiam iis probabilem reddiderunt, quibus improbaretur (²). Idque eo majori laudi ducendum est recentiori-

Seite hin ein Aeusserstes gegeben. Nemlich der Strenge nach dürften sich die historischen Spuren nicht über das Leben des Socrates hinaus erstrecken, in welches ja alle Gespräche fallen, mit Ausnahme der Gesetze und der wenigen, die Platon durch andere wieder erzählen lässt, und bei denen ihm also auch eine spätere Zeit zu Gebote stand, welchen Vortheil er aber auch nicht immer benutzt hat um uns eine genauere Spur zu hinterlassen. Nun geben zwar die Anachronismen, die er sich hie und da erlaubt, Hoffnung zu einigen mehreren geschichtlichen Angaben, so dass man wünschen möchte, Platon hätte sich dieses Fehlers öfter schuldig gemacht; aber auch diese geringe Ausbeute wird sehr zweifelhaft durch die Betrachtung, dass manche von diesen Thatsachen vielleicht erst bei einer späteren Ueberarbeitung ihren Platz gefunden, bei welcher sich Platon natürlich nicht mehr so lebhaft in die wahre Zeit des Gesprächs versetzte, und sich eben verleiten lassen konnte, sie regellos zu überspringen. Es gäbe vielleicht noch mehr bis jetzt unbenutzte Hülfsmittel für diese Methode.... Allein alles dieses ist so vielen Einschränkungen unterworfen, dass jeder zuversichtliche Gebrauch davon verfänglicher sein möchte als erspriesslich, und dass keine daraus gezogene Folgerung etwas entscheiden, sondern nur einen geringen Zuwachs von Wahrscheinlichkeit abgeben kann. So dass durch diese Methode schwerlich mehr möchte zu erreichen sein, als wohin sie in jenem Werke [ap. Tennemann.] mit lobenswerther Mässigung, wenn auch vielleicht nicht immer nach richtigen Voraussetzungen ist angewendet worden». Cf. Ritter. *Hist. Phil.* I, p. 147.

(²) Stallbaumius quid senserit, videbis ex ejus *Disputatione de Pl. vita ingenio et scriptis*, qua praelusit *Selectis* Platonis dialogis, p. XXXI, sqq. collatis *Praefationibus* in fronte sin-

bus criticis, quod apud veteres, quod sciam, nil certi liquidique de Platonicorum scriptorum aetate constabat. Itaque, qui in *anachronismis*, qui dicuntur, Platonis notandis admodum erant assidui (Athenaeus!), iis aut deerat voluntas, aut non aderat potius copia et facultas de Platonicorum librorum temporibus talem sibi conquirendi notitiam, qualem, exempli causa, Porphyrius de Plotini sui operibus exhibuit.

Ita, quod nonnulli *Phaedrum* primum a Platone fuisse compositum garriebant, id inde finxerunt, quod liber iste nescio quid *dithyrambici* spirare furoris est iis visus (¹). Item, quae Cicero

gulorum dialogorum collocatis. Hermannus rationem suam executus est in opere notissimo de *Historia et Systemate Philosophiae Platonicae*; vide imprimis p. 351, sqq.: «Dass das Ganze der platonischen Schriften das Bild einer lebendigen organischen Entwickelung gewähre und nur von dieser Seite wissenschaftlich aufgefasst werden könne, ist auch unsere feste Ueberzeugung; nur erblicken wir in dieser Entwickelung nicht eine solche, die Plato gleichsam auf seinem eigenen Beispiele seinen Lesern vorzumachen beabsichtigt und zu diesem Ende von vorn herein Ziel und Zweck des Ganzen schon den Grundzügen nach vor Augen gehabt hätte, sondern vielmehr eine solche, durch die er selbst erst allmälig unter den Einflüssen der Zeit zu der erforderlichen Höhe emporgehoben worden ist, um einen solchen Plan für sich und andere zu entwerfen, und deren rein geschichtlicher Character mithin nur in sofern nach allgemeinen dialektischen Principien gemessen werden kann, als ein solcher Erfolg allerdings eine höchst normale Ausbildung voraussetzt». etc.

(¹) Olymp. *V. Plat.* p. 584, Dicaearch ap. Diog. L. III, 38 (cf. Krische, l. l. p. 28.).—Athen. XI, p. 505, F. arguit, ἀδύνατον καὶ Φαῖδρον κατὰ Σωκράτην εἶναι; Platonem

contra affert (*Orat.* 13.), Socratis illud de Isocrate adolescente vaticinium, quod *in extrema quasi Phaedri pagina* legitur, a *Platone seniore* fuisse scriptum; ex iis neutiquam adhuc sequitur, Ciceronem ex tabula aliqua seriorem Phaedri aetatem computasse. Siquidem cuivis etiam, Platonis haec verba percurrenti, statim subrepit opinatio, Isocratem non nisi tunc ea laude tutissime ornari potuisse, cum inclytus jam clarusque evaserit. Non aliter etiam accipiendum puto Tullianum testimonium de *Legibus* post *Politiam* editis. Nam hoc quoque sponte ex Platone fonte ipse acceperis. Quare Plutarchus etiam eas a Platone provectiore fuisse conditas ait. Et quoniam, ut idem Plutarchus narrat, *Atlanticae fabulae* ultimam admovere manum Plato a Parcis praepeditus est; licuit inde Galeno suspicari, aliis praeterea forte calculis subductis, *Timaeum* quoque, cum Critia conjunctum, senilem esse Platonis partum. Eodem fere pacto plurima olim, sine dubio, ex sola memoria de Platone prodita, ad dialogorum ratiocinandam aetatem adhibere licuit. Quemadmodum etiamnum de *Gorgiae* dialogi, aut *Phaedonis*, exempli gratia, anno natali inde conjectaveris, quod uterque ab ipso Gorgia et Phaedone lectus fuisse dicitur ([1]). Sed haec omnia suis locis examinabuntur.

Oblitteratae autem de Platonicorum scriptorum, qua serie prodiissent, notitiae culpa jam in primos forte Platonis successores conferenda. Detur tamen venia isti imprudentiae potius, quam negligentiae. Nam cum primis post defunctum Platonem temporibus semper adhuc aureum os ejus inter Academi silvas resonare quasi videretur; quid de naturae causis olim senserit, non magis id ex mutis et surdis scriptorum, quae reliquerat, indiciis colligere datum erat, quam ex oculata, ut ita dicam, vivaque Ipsius memoria. Et cum *ultima* de rerum universitate Magistri quae fuerit opinio ignorare non potuissent; excolere eam atque, ut suus cuique ferret animus, ulterius promovere maluerunt, quam nil aliud agere, nisi premere et recoquere ea, quae heredio accepta retulissent. Sed mox memoriae isto adminiculo destitutis, cum nil aliud ex Platone iis superesset, nisi librorum involucra; in haec tandem pressius incumbentes ita in unum reducebant et tornabant et ferruminabant, ut ex iis, ad vivi scilicet corporis exemplar compositis, forte anima etiam elici aliquando posset. At semper tamen hic vel ille humerus deficiebat, Tantalidae ebore instaurandus, et deficiebat praeterea anima, a nullo jam Mercurio revocanda, nisi nostri saeculi sagacitas eam revocabit.

Sed quid istuc, dii immortales, *nobis* commercii, cum nostri seculi sagacitate? Quid cum quaestione hac de instaurandis humeris Platonis, quam et rei difficultas et materiae inopia et artificum tanta auctoritas, ut, si ab ea recedere audeas, vapules necesse sit, spinosissimam reddunt? Adeo, ut superciliosus aliquis Juppiter, non semel jam in cachinnos effusus nobis quadrata rotundis hactenus miscentibus, cum etiam nunc brachium intra pallium reducere nos morari videat, intonet indignabundus:

Οὔτοι, τέκνον ἐμὸν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα...

---

vero Socrate vivo dialogos componere coepisse, consentaneum est. Et cf. Tennemann. l. l. p. 117, sq. Ast. l. l. p. 55. Hermann. l. l. p. 373, sq.

([1]) De *Gorgia* v. Athen. l. l. D; cll. Hermann. l. l. p. 635, n. 391. De *Phaedone*: Athen. l. l. E.

At, *πάππα φίλε*, non docere gestientes, sed discendi cupidi, et academica praeterea lege coacti, ista studiorum nostrorum et lucubratiuncularum prima capitula effundimus. Accipe ergo eodem haec animo, quo tibi offerimus: non quidem pro novenni Sabino mero, sed pro crudo recentique adversariorum musto, quae in proprium usum, nequaquam tamen in publicum judicium, coacta erant. Et si tibi non deerit aliquando animus ea primis attingere digitulis: etiamsi statim respueris, fave tamen nobis, ut ipse valeas!

SERIES PRIMA.

PLATONIS ULTIMA SCRIPTA.

(Politia Timaeus Critias Leges.)

I.

Platonica scripta digerendi exordium duximus ab eorum exitu. Quod non temere quidem fecimus ad propriumve arbitrium accommodantes justum disputandi ordinem, sed considerate potius consultoque. Nam, quo consilio mathematici, si quid non certi et fixi, sed *probabilis* modo numeris persequi volunt, binos primum constituunt sibi *limites*, atque tunc ratiocinari student, quo *incertum* id neque amplius jam *ultra* promoveri, neque *citerius* etiam sisti debeat; simili fere ratione etiam nos in praesenti quaestione uti posse existimabamus. Etenim, si forte nobis contigerit probabilius definire, quinam libri a Platone tunc essent editi, cum jam *sublimi feriret vertice sidera;* altera vero ex parte, si constiterit, quibus nam ab *initiis* philosophandi scribendique exorsus fuisset: si praeterea spatium hoc *media* intercapedine discernere licuerit: facilius jam tunc reliqua scripta ad normam hanc dirigere poterimus.

Jam vero in disquisitione nostra ita versabimur, ut initio omne de *internis*, quae dici solent, argumentis judicium suspen-

damus. Ex quorum genere sunt: philosophandi commutata materies, disserendi conditio diversa, scribendi varia ars, alia. De his enim omnibus, etsi quidem gravissimis, tamen non nisi tunc tutius disputare potuerimus, cum primum *historicorum*, quidquid sit, argumentorum conquisitis atque. pro virili, excussis, *externa* ratione sermonum Platonicorum seriem constituemus. Dux vero in his angustiis atque lex sit nobis praeceptum Strabonis (I, p. 41, C.): *ἀλλ᾽ οὔτ᾽ εἰ μὴ συμφωνοῦσιν οἱ τὴν ἱστορίαν παραδιδόντες, εὐθὺς ἐκβάλλειν δεῖ τὴν σύμπασαν ἱστορίαν ἀλλ᾽ ἔστ᾽ ὅτε καὶ πιστοῦσθαι τὸ καθόλου μᾶλλόν ἐστιν.* Siquidem in tanta testimoniorum inopia ne minutissima quidem indicia aspernari aequum erit.

Magno, hercle, in causa nostra deputaveris lucro, quod, quae *ultima* sit ingenii Platonici proles, liquidissimis verbis discimus a Plutarcho, *V. Solon.* s. f. *Ὁ δὲ Σόλων*, narrat ille, *ἁψάμενος μεγάλης τῆς περὶ τὸν Ἀτλαντικὸν λόγον ἢ μῦθον πραγματείας,.....ἐξέκαμεν οὐ δι᾽ ἀσχολίαν, ὡς Πλάτων φησὶν* [*Tim.* p. 21. s. f.], *ἀλλὰ μᾶλλον ὑπὸ γήρως φοβηθεὶς τὸ μέγεθος τῆς γραφῆς.... Ὡς δὲ χώρας καλῆς ἔδαφος ὁ Πλάτων ἔρημον, αὐτῷ δέ πως κατὰ συγγένειαν προσῆκον, ἐξεργάσασθαι καὶ διακοσμῆσαι φιλοτιμούμενος τὴν Ἀτλαντικὴν ὑπόθεσιν, πρόθυρα μὲν μεγάλα καὶ περιβόλους καὶ αὐλὰς τῇ ἀρχῇ περιέθηκεν, οἷα λόγος οὐδεὶς ἄλλος ἔσχεν οὐδὲ μῦθος οὐδὲ ποίησις· ὀψὲ δὲ ἀρξάμενος προκατέλυσε τοῦ ἔργου τὸν βίον, ὅσῳ μᾶλλον εὐφραίνει τὰ γεγραμμένα, τοσούτῳ μᾶλλον τοῖς ἀπολειφθεῖσιν ανιάσας. Ὡς γὰρ ἡ πόλις τῶν Ἀθηναίων τὸ Ὀλυμπι-*

εῖον, οὕτως ἡ Πλάτωνος σοφία τὸν Ἀτλαντικὸν ἐν πολλοῖς καλοῖς μόνον ἔργον ἀτελὲς ἔσχηκεν.—Hactenus Plutarchus (¹).

Huic autem luculentissimo testimonio cur fidem derogemus, non video, neque *Critiam* ab extremo aetatis Platonicae termino in quodcunque aliud vitae stadium semoveri debere existimo. Etenim, age, fingamus Plutarchum erroris vel mendacii reum, et, quod Critias fine captus est, vitii hujusce culpam non tam Parcis imputemus, ut Plutarchus fecit, quae artificem operi suo quasi surripuerint, quam, aut ipsum ponamus auctorem sive casu aliquo ultimam libro suo manum admovere prohibitum fuisse, sive rato aliquo id fecisse consilio; aut, si hoc displicuerit, temporis potius incusemus injuriam, qua videlicet acciderit, ut absolutissimus olim dialogus misere decurtaretur. Illud enim Hermannus suspicatur, hoc autem Heerenius in mente sibi habuisse videtur. At neutrum tamen, si quid intelligam, idoneis rationibus evinci possit. Nam, quod ad Heerenium attinet, non magni dixerim esse, quae vir inclytae memoriae adnotavit ad locum quendam Menandri rhetoris, ubi sic scribitur: *Ὁ γοῦν Πλάτων ὕμνον τοῦ Παντὸς Τίμαιον καλεῖ ἐν τῷ Κριτίᾳ.* Quoniam, ut Heerenio credam, «*lecta forsan haec esse olim versus finem Critiae, qui periit*»: etiamsi «*certe in iis, quae ex dialogo illo ad nostra tempora pervenerunt, nil tale legi*»

(¹) Cf. Id. *sec. Epic. vivi*, p. 1093, A.—Revocant praeterea (Böckh. *Plat. Min.* p. 11; Ast., l. l. p. 373. cll. Fabr. *B. Gr.* III, p. 98.) ad Scholion *in Ptolemaei Harmonic.* Cod. Coisl. p. 228, catalogi a Platone [!?Montefalconio?] editi.

non dubito: docear primum necesse est, Menandrum esse fructum integriori Critia, quem mancum Plutarchus dolet. Quod si jam verba ista ipsi Platoni sint obtrudenda, nescio, an ea majore jure, cum Hermanno (1), initio libri vindicaveris, quam, Heerenio confisus, in finem rejeceris. Tamen et hoc supervacaneum esse videtur; quandoquidem rhetoris verba, si modo salvus sit locus, non tam ex ipso Critia esse deprompta equidem existimarim, quam potius iis dialogum hunc solummodo respici dixerim (2).

Attamen ne Hermanno quidem obsequar, qui, cum componendi Critiae consilium adolescentiori potius Platoni, quam senescenti assignaverit, opinionem suam idoneis argumentis corroborare est moratus. «Ob aber Plato», sic fatur Vir celeberrimus (l. l. p. 546.), «durch den Tod an der Vollendung [Critiae sc.] gehindert worden, möchte ich um so weniger behaupten, als wir an den Gesetzen sehen, dass er sich in den letzten

(1) Hermann. l. l. p. 704. n. 709: «Wie Plutarch. V. Solon. c. 32 angibt: woraus wir aber urkundlich nur so viel entnehmen dürfen, dass der Schluss schon im Alterthume fehlte;.... wenn Heeren zu dem Citate bei Menander de Encom. c. 5 extr.:.... vermuthet: *lecta forsan haec sunt olim versus finem Critiae, qui periit*, so dürfte jener Ausdruck, wenn er wirklich dem Kritias angehört, eher zu Anfang vorgekommen seyn.»

(2) In loco isto Menandri, *de genere demonstr.* [*de Enc.*] c. 5. (p. 143, T. IX. Walz. *Rhetores Graeci*. 1836.), fortasse scriptum erat pro «τοῦ Πάντος»: «τοῦ ἀφάντου», quo verbo dixeris Menandrum respexisse ad initium Critiae, (cll. *Tim.* p. 29.) ubi, quae a Timaeo de diis fuerint disputata, ea excedere hominum notitiam dicuntur. Timaeum vero eodem pacto rhetor ad *hymnos* retulerit, quo supra, c. 2, Platonem in *Symposio* et *Phaedro* pluribus simul hymnorum generibus usum esse

Jahren seines Lebens bei weitem nicht so sehr mit politischen Utopien, als vielmehr mit dem Gedanken beschäftigte, wie seine Staatsansichten den gegebenen Verhältnissen der Wirklichkeit anzupassen seyn möchten, und da auch dieses Werk die letzte Feile vermissen lässt, so ist es vielmehr wahrscheinlicher, dass er selbst den Gedanken jenes Romanes aufgab, der auch der ganzen Schreibart des vorhandenen Bruchstückes nach keineswegs mehr den erhabenen Flug platonischer Phantasie verrathen und den Ansprüchen, die man an einen solchen Geist zu ma-

contendit. Aut τοῦ Παντὸς relinquendum, quo argumentum Timaei optime esset expressum (*Tim.* p. 27); pro cardine vero sententiae «ὕμνος» habendum, quasi rhetor ipsum nobis Platonem auctorem adducere vellet, istam physiologicam περὶ τοῦ παντὸς φύσεως pragmatiam, τοῦ παντὸς *hymnum* appellari posse. Et revera hoc sibi volunt verba Socratis (*Tim.* p. 29. s. f.): τὸ μὲν προοίμιον θαυμασίως ἀποδεξάμεθά σου, τὸν δὲ δὴ νόμον ἡμῖν ἐφεξῆς πέραινε. Dicebantur enim νόμοι, inter alia, οἱ εἰς θεοὺς ὕμνοι, ut ait Schol. Aristoph. *Equit.* v. 9, qui sua *prooemia* habebant (v. Ipp. ad. Plat. *Leg.* IV. p. 722, D; *Cratyl.* p. 417, E; Menag. *ad Diog.* VIII, 58. alios.). Sed quia sententia trunca est ap. Menandrum,— agitur autem h. l. de συμμετρία hymnorum physicorum, quorum, qui διδασκαλικοὶ sint, ad quos Timaeus scilicet pertineat, πλείστης καὶ μεγίστης διατριβῆς μετέχονται,—videtur aliquid excidisse post verba ἐν [δὲ] τῷ Κριτίᾳ, forte initium Critiae, ubi Timaeus ἀσμένως, οἷον ἐκ μακρᾶς ἀναπεπαυμένος ὁδοῦ, οὕτως ἐκ τῆς τοῦ λόγου διαπορείας sese ἀπαλλάττεσθαι dicit. Quibus apte subnexuerit rhetor: καὶ οἱ φυσικώτεροι ποιηταὶ, ὧν ἐπεμνήσθημεν, πραγματείας ὅλας κατέθεντο.—Sed quali quali tandem modo

chen berechtigt war, genügt haben dürfte». Stallbaumii *Prolegomena*, ad quae Hermannus ablegat, non habemus. — Etsi quidem plurimum apud nos Hermanni auctoritas valet, attamen invitus crediderim, qui Politiam et Timaeum fuerit meditatus, eum, quam postea susceperit operam, fastidio vel pigritia imperfectam seposuisse. Et si jam tale quid Platoni acciderit, quid ni Vulcano lubentius, cui poeticos lusus tradidisse dicitur (1), scriptionem deleret, quam aere perennius levitatis suae monumentum persistere pateretur? Num vero sermones Critiae mera fuerint τερετίσματα, poetis magis relinquenda (2), quam iis digna, quibus seria tractanda? haud scio. Dixerim quidem, ignoscen-

---

nodum expediveris, non est hic locus talis, quo Menander Critiae *finem* legisse arguatur. Sic etiam ad Ejusdem verba c. 6 (p. 148): καὶ παρὰ Πλάτωνι. «φήμη τις καὶ λόγος διαῤῥεῖ, ὡς ἄρα ὁ θεὸς οὗτος ὑπὸ μητρυιᾶς οὔσης τῆς Ἥρας ἐκινήθη», adscribit Heerenius: «*Haec quoque ex dialogo Platonis, qui interiit petita sunt.*» etc. Tamen verba haec, nisi fallor, nulla alia sunt, quam quae hodie sic leguntur in *Legibus*, II, p. 672, E: λόγος τις ἅμα καὶ φήμη ἀποῤῥεῖ πως ὡς ὁ θεὸς οὗτος [*Bacchus*, non *Hercules*, quem suspicabatur Heeren.] ὑπὸ τῆς μητρυιᾶς Ἥρας διεφορήθη τῆς ψυχῆς τὴν γνώμην. etc.

(1) Eustath. *ad Iliad.* ρ'. p 1143, int. Schol. Hom. Bekker. p. 478. B, 45. et ad ρ', v. 263 (V. spr. p. 41, n. 1. cll. Fabr. *B. Gr.* III, p. 110, sq.).

(2) Fueritne Critias Platonis, ut habet Fabr. *B. Gr.* III, p. 98, illa «*Atlantica historia, quam ritu valde poetico in carmina transtulisse Zothicus criticus homo et poeticus, qui et Antimachi opera emendavit*», dicitur Porphyrio, *V. Plot.* c. 7? valde dubito. *Jure*» [!!] ait Tiedemann, *Diall. Plat. Argg.* p. 339, «*hic dialogus* [Critias] *inter fabulas Romanenses ..... refertur*».

dum esse seni, si subseciva tempora honesto triverit otio; sed non dicam hoc, quum persuasum mihi sit, ea, quae Critias executurus esset, cui post Socratem et Timaeum partes loquendi sunt delatae, et quae deinceps, sine dubio, ab Hermocrate essent peragenda, ea unum sibi quendam communem habuisse finem, nequaquam minus eo dignum, quo *Leges* sint conditae.

Quae cum ita apud me considerem, deest animus detrahendi Plutarcho. Praesertim, cum neque eum tot verbis rem significaturum fuisse arbitrer, nisi eam ratam certamque sibi haberet; neque etiam admitti possit, eum aut narrandi tractu, ut aliquando fit, abreptum, aut similitudinis aspectu deceptum, transtulisse in Platonem, quae de Solone traderet. Nam potius jam in contrariam partem eum peccasse crediderim. Quamvis enim Platonem narret, in eodem cum Solone occupatum fuisse argumento; tamen, quam Soloniani carminis imperfecti causam affert, senectam, hanc ex sua affert conjectura, contra testimonium Platonis, qui istam Atlanticae fabulae compositionem ad ea videtur tempora referre, cum Solon, ex Aegypto redux, ad rempublicam capessendam accesserat.

Age, retineat jam sua Plutarchus; quid igitur inde lucramur? Num truncus ille Critias tanti est, ut ex eo aliquid de Platonis sive ingenio sive philosophia judicari liceat? — At conjunctus est liber ille cum *Timaeo* et *Politia!* — Sed nondum inde sequitur, quibuscum argumentum et scenam communem habet, iis etiam aetate parem esse, ut Ast. vult p. 375. Quid enim obstat, quominus eum postea jam assutum fuisse dicam praestantissimis illis operibus, multo, forte, anterius in lucem editis? Potest quidem provectior

Politiae aetas inde concludi [1], quod post obitum Platonis *in ejus ceris inventa sunt quatuor illa verba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piraeeum descendisse* [Socratem] *significat, plurimis modis scripta*, ut loquitur Quintilianus, VIII, 6, attestante Euphorione et Panaetio, ap. Laert. III, 37. Quae paullo copiosius narrat Dionys. Hal. *Compos. voc.* c. 25, p. 30 Sylb. (208 Reisk.):..... τῶν τότε ἀνθρώπων οὐ γραπτοῖς, ἀλλὰ γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς ἐοικότας ἐκφερόντων λόγους· λέγω δὲ Ἰσοκράτους καὶ Πλάτωνας τῶν σοφιστῶν. ὁ μὲν γὰρ τὸν Πανηγυρικὸν λόγον... ἐν ἔτεσι δέκα συνετάξατο. ὁ δὲ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους κτενίζων καὶ βοστρυχίζων, καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων, οὐ διέλιπεν ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη. πᾶσι γὰρ δήπου τοῖς φιλολόγοις γνώριμα τὰ περὶ τῆς φιλοπονίας τἀνδρὸς ἱστορούμενα, τά τε ἄλλα, καὶ δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν δέλτον, ἣν τελευτήσαντος αὐτοῦ λέγουσιν εὑρεθῆναι, ποικίλως μετακειμένην, τὴν ἀρχὴν τῆς Πολιτείας ἔχουσαν τήνδε· «κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος». Huc fortasse etiam Cicero trahendus, dicens (*de Senect.* c. 5) *Platonem uno et octogesimo anno scribentem esse*

(¹) Id cogitasse videtur Ast. l. l. p. 52: «Dieses sind demnach die letzten Werke des Platon, was auch durch mehrere [!] Angaben bestätigt wird, wie durch diese, dass man nach Platon's Tode den Aufang der Politia auf der Wachstafel verbessert gefunden hat—ein Beweis, dass sich Platon mit der Umarbeitung oder letzten Feile seines Meisterwerks noch im späten Alter beschäftigte».

mortuum.—Attamen, nisi fallor, ex sola ista fama nil aliud evinci potest, quam id unum, Platonem *numerosi sermonis* ita fuisse curiosum, ut, cum nullo tempore scripta sua non *calamistraret* ac *pecteret*, jam fere moribundus Politiae prooemium sollicite ordinaret poliretque, imo fortasse totum etiam novum faceret, propter recentem Critiam ex Politia atque Timaeo suspendendum [1]. Aut quid ni possim suspicari, Platonem quoque, quod Tullius de se ipse refert [2], semper aliquid prooemiorum, vacuis horis compositorum, in promptu habuisse, quibus, ut occasio ferret, uteretur? Ex quorum numero etiam illa Politiae praelusio, etiamsi jam dudum fortasse ex pugillaribus in lucem deprompta, tamen aut forte fortuna, aut consilio, grata quadam homini praeteritorum memoria, in scriniis recondi servarique potuerit [3].

(¹) Jam clarissimus Vir Carolus Morgensternius, in *prima suarum Commentationum de Platonis Republica*, Halis, 1793—quas, cum frustra a librariis flagitaremus, Ipsius auctoris beneficio accepimus — jam Morgensternius, inquam, p. 73, n. I, monuit: «*Neque tamen ex his locis certi quidquam conficitur. Quid enim impedit, quo minus in hoc opere comendo et perpoliendo, quacunque vitae aetate id scripserit, senex etiam curam adhibuerit?*»

(²) Cic. *Epist. ad Att.* XVI, 6: «*Habeo volumen prooemiorum. Ex eo eligere soleo, cum aliquod* σύγγραμμα *instituo*.» etc.

(³) Sic Suetonius narrat (*V. Ner.* c. 52): «*venisse in suas manus Neronis pugillares libellosque cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis, ut facile appareret, non translatos aut dictante aliquo exceptos, sed plane quasi a cogitante atque generante exaratos: ita multa et deleta, et inducta, et superscripta inerant*».

Tota igitur nostra disputatio nunc eo tendet, ut primum, quantum valemus, ratiocinemur, cuinam aetatis Platonicae spatio Politia sit accensenda atque Timaeus.

II.

Quod Tennemannus olim de *Politiae* tempore declaraverat, eam ad ultima Platonis opera pertinere (¹), id hodie quoque, si a paucorum dissensione recedas, retentum probatumque manet. Et quidem Morgensternius unus fere, quod scio, secus a Tennemanno sensit (²). Nam, fisus ille Aristophani indici, qui in suis *Ecclesiazusis* Platonis Rempublicam ante oculos habuisse videtur, festivissimos hos sermones detrusit ante Ol. XCVII, circa quam Petitus, nec non Palmerius, Ecclesiazusas doctas

---

(¹) *Syst. d. Pl. Ph.* I, p. 122: «Die Bücher von der Republik und den Gesetzen sind die letzten Arbeiten des Plato. Davon haben wir ausdrückliche [!] Zeugnisse (Diogen. III, 37.). Wenn man damit die Nachricht verbindet, welche uns Aristoteles giebt, dass die Gesetze nach der Republik geschrieben sind (Aristotel. *Politicor.* II, 6), so müssen die letzten Schriften des Plato so auf einander gefolget sein: *Republik, Kritias, Timäus, von den Gesetzen, Epinomis.*» En omnia!

(²) In *Epimetro* primae *Commentationis Pl.* (p. 73—83) agit Morgensternius de eo, «*quo tempore Plato Politiam scripsisse videatur.*»

esse conjiciebant. Quam sententiam suam Morgensternius confirmari praeterea posse dicit loco *Epistolae septimae*, ex iis, quae Platonis nomen ferunt maxime genuinae. Etenim ibi, inter alia, haecce Philosophus de se ipse profitetur (p. 326, A. B.): λέγειν τε ἠναγκάσθην, ἐπαινῶν τὴν ὀρθὴν φιλοσοφίαν, ὡς ἐκ ταύτης ἐστὶ τά τε πολιτικὰ δίκαια καὶ τὰ τῶν ἰδιωτῶν πάντα κατιδεῖν. κακῶν οὖν οὐ λήξειν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν ἢ τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε καὶ ἀληθῶς γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικάς, ἢ τὸ τῶν δυναστευόντων ἐν ταῖς πόλεσιν ἔκ τινος μοίρας θείας ὄντως φιλοσοφήσῃ· ταύτην δὴ τὴν διάνοιαν ἔχων εἰς Ἰταλίαν τε καὶ Σικελίαν ἦλθον, ὅτε πρῶτον ἀφικόμην. Itaque, primum, hisce verbis: λέγειν τε—κατιδεῖν ipsum Politiae argumentum comprehendi V. D. autumat. Nam laudat Plato in Politia multis locis, *quinto* et *sexto* maxime libro, veram philosophiam uberrime ob id ipsum, quod hoc loco significat; et in ceteris operis partibus hoc potissimum agit, ut quae sit δικαιοσύνης, tum publice, tum in vita privata, vis, si rectae philosophiae ope aperiatur, non sophisticae artis fallaciis et fraudibus pervertatur, demonstret. Porro, quae in Epistola sequuntur: κακῶν—φιλοσοφήσῃ, ea nobis repraesentare dicit Morgensternius illustrem illum et unicum in *quinto* Politiae locum, de philosophis ad regimen acciendis. «*Haec omnia*», inquit V. Ill., «*etiam ad sermones Platonis non ad librum referri posse, nemo non videt. Sed si quis forte ea ad librum referre malit, memoratu certe non indignum videtur, tunc omni illo, quem descripsi, Epistolae loco confirmari id, quod probabile est ex comparatione cum Ecclesiazusis: scriptam esse Poli-*

tiam ante finem Ol. XCVII. Nempe primum in Siciliam iter Platonem fecisse constat Ol. XCVII, 4. XL. ferme annos natum (*Ep.* VII, p. 324, A.)».

Ex eodem etiam Epistolae loco Morgensternius constituit terminum post quem Politia in lucem apparuit. Nam paullo antea Plato declaravit, se *post Socratis mortem demum* animadvertisse illud, omnes quae tunc essent, civitates, male esse constitutas; atqui in Politia (VI, p. 497, A. B.) idem dicit. Hoc igitur argumento constare ait V. D. id, quod per se probabile erat, post Socratis obitum scriptam esse Politiam, ita, ut verisimile sit, eam inter Ol. XCV, 1. atque inter Ol. XCVII lucem aspexisse, h. e. inter *tricesimum* et *quadragesimum* ferme aetatis annum, quadragesimo tamen quantum fieri potest propius. Ceterum, subjungit Morgensternius, cum ex omnibus Nostri operibus Politia maxime artificem loquatur, magnaeque, qua conscripta sit, contentionis indicia habeat manifesta, summae etiam in rebus atque in oratione perfectionis imaginem, si quid aliud Platonicum, prae se ferat: valde verisimile est, auctorem in hoc opere poliendo post primam ejus editionem multum elaborasse; id variis rebus, quas postea usu cognovisset, locupletasse (*);

(*) Sic probabile esse V. D. putat Platonem in Politiae *octavo* extremo et *nono* illam tyranni imaginem, ejusque, quam ille vivit, vitam, antea adumbratam et inchoatam, secundum ea, quae apud Dionysios consuetudine ipse edoctus erat, expinxisse et perfecisse. Quod auctor ipse, e sententia Morgensternii, significare videtur *Polit.* IX, p. 577, A. B.

atque inprimis metaphysicam systematis sui partem, et fortasse etiam partem ejus moralem, deinceps correxisse, emendasse, consummasse. Atque ita etiam explicari posse dicit, unde in hoc uno opere ab altera parte summa, quae apud philosophum nostrum usquam reperiatur, sententiarum philosophicarum, de quibusdam certe rebus, maturitas appareat, ab altera parte maximi phantasiae nisus emicent, summa orationis et dictionis pulchritudo luceat. Nempe haec phantasiae vis, inquit, haec sermonis lumina, ex ea sunt aetate, qua opus exaratum est primoque vulgatum, siquidem haec est inter tricesimum et quadragesimum annum; illa sententiarum maturitas et perfectio contra, simulque exactissima illa dictionis laevitas, effloruerunt ex lima et politura ad extremam usque senectutem continuata.

Haecce igitur scripsit Morgensternius ante L jam annos. Verum tamen vero opinio haec, quam juvenis olim professus, sine dubio multo etiam penitius persuasam sibi nunc senex retinet, non magno excepta est doctorum assensu. Quod haud ita inique accidisse crederes. Quoniam summae istius, quam opus hoc usque ad intimam medullam et nervos prae se ferre nemo impune potest negare, perfectionis atque maturitatis species longe quidem major est credita, quam quae adolescentiori foetui post multas demum ambages recentando et castigando et addendo imprimi umquam potuerit. Ita ut multo verior videatur sententia Politiam, quam ipse auctor cum ultima ingenii sui prole, Critia, et, ex quo, ille pendet, Timaeo consociavit, omni

jam ex parte maturam ac perfectam, veluti Minervam quandam πάνοπλον, uno eodemque partu totam in lucem prosiluisse ex bene jam multorum annorum studiis decocto cerebro Philosophorum Dei.

Praestantiam illam ac perfectionem, quae videlicet maturissimam aetatis redoleat horam, elucere imprimis docent ex argumenti in Politia tractati amplitudine atque tota philosophicae sylvae ratione. Quod praecipue indicium secutus Schleiermacherus trilogiam eam, cujus primam partem Politia explet, a Platone toti systemati veluti caput summumque fastigium impositam esse judicavit. Quae enim in ceteris dialogis quaeruntur modo et praeparantur, hic demum plane exponuntur atque constituuntur. «Alles stimmt zusammen, ait Schleiermacherus, um diesen [i. e. Politiae Timaeo Critiae, qui «allein eine objective wissenschaftliche Darstellung enthalten»] die letzte Stelle anzuweisen, Ueberlieferung sowohl als auch, wenn gleich in verschiedenem Grade, innerer Charakter der höchsten Reife und des ernsten Alters; und selbst der unvollendete Zustand, in welchem sie sich im Zusammenhange betrachtet befinden. Mehr aber als alles dieses entscheidet die Natur der Sache, indem diese wissenschaftlichen Darstellungen auf den früher geführten Untersuchungen beruhen, in welche alle Gespräche mehr oder weniger verwickelt sind, nehmlich über das Wesen der Erkenntniss überhaupt und der philosophischen besonders und über die Anwendung der Idee der Wissenschaft auf die in jenen Werken behandelten Gegenstände, den Menschen

selbst und die Natur. Es kann freilich sein, dass der Zeit nach ein grosser Zwischenraum ist zwischen dem Staat und dem Timaios; aber es ist nicht zu glauben, dass Platon in diesem Zwischenraum irgend eines von den uns übrigen Werken, ja überhaupt irgend ein in ihren Zusammenhang gehöriges abgefasst habe, ausser den Gesetzen.».....

Deinceps, judice Astio, ipse operis, qui dici solet, color provectiorem refert artificem. Cum enim eximiam singularum Politiae partium inter se competentiam nequaquam dicit reddere verisimile librum hunc ex variis laciniis esse consutum, tum tanta eum vult splendere rerum cognitarum copia et judicio, tanta philosophandi praestare gravitate, talibus denique loquendi luminibus esse distinctum, ut fieri nullo modo possit, quin postremos inter ingenii Platonici fructus numeretur. Sed excipias potius haec ex ipsius facundo ore (l. l. p. 350, sq.)... «Diese organische Zusammenstimmung des Ganzen macht es glaublicher, dass Platon die Politia nicht zu verschiedenen Zeiten ausgearbeitet habe. Dazu kommen mehrere Gründe, die uns bestimmen müssen, dieses Werk für eine der spätesten Hervorbringungen des Platon zu halten. Es ist nehmlich als sokratisch-platonisches (im Gegensatze zum pythagoreischen Timaeos) das reifste unter allen übrigen, nicht nur, weil die früheren Untersuchungen hier in ihren Höhepunkt zusammenlaufen, sondern auch wegen des ernsten und rein wissenschaftlichen Geistes, gleich entfernt ist von jenen jugendlichen Spielen des Witzes und der Persiflage, die wir in den Gesprächen der ersten Reihe finden, als von den dialektischen

Spitzfindigkeiten, mit denen er in den Gesprächen der zweiten Reihe die falschen Dialektiker und unächten Sokratiker durchzieht. Dieser ernste Geist der wissenschaftlichen Forschung und Darstellung erscheint ferner so ruhig und mild, dass wir in ihm das reife Alter nicht verkennen können; ja dieses Alter verkündet sich in der Unterredung des Sokrates mit dem Kephalos als die liebenswürdigste und süsseste Redseligkeit. Im Gespräche mit dem wilden Thrasymachos weicht Sokrates anfangs durch Ironie den derben Angriffen des Sophisten aus, und weiss dann selbst diesen unbändigen durch die ergreifende Wahrhaftigkeit seiner anspruchlosen Rede zu zähmen; und wie mild, wie versöhnend spricht er späterhin (VI, S. 498, D.) vom Thrasymachos! Man lasse sich nicht durch das Blühende und Bilderreiche der Sprache und die Lebendigkeit der Darstellung, vorzüglich in der Beschreibung der Staatsverfassungen und der Schilderung der ihnen entsprechenden Charaktere der Menschen, täuschen und zu der Meinung verführen, dass sich eben dadurch die Jugendlichkeit des Werkes beurkunde; denn im Gegentheile könnte man darin einen Beweis für die spätere Abfassung des Werks finden. Jene in das Wesen der Staatsverfassungen so tief eindringende und die individuellsten Verhältnisse des politischen Lebens berücksichtigende Darstellung kann nehmlich nur die Frucht vieljähriger Beobachtung und reifer Erfahrung seyn. Wie hätte Platon z. B. den Tyrannen so wahrhaft schildern und seine Genesis so scharfsinnig entwickeln können, wenn er nicht am Hofe des älteren und jüngeren Dionysius so vielfältige Gelegenheit gehabt hätte, den Tyrannen selbst

zu beobachten, und so aus der unmittelbaren Anschauung sich die wesentlichen Züge eines Despoten zusammenzusetzen? Erfahrung und Beobachtung leiteten ihn also hier, und eben diese hatten ihm den Gegenstand so deutlich und anschaulich gemacht, dass diese Anschaulichkeit nothwendig auch in die Darstellung übergehen musste; können wir uns daher über die Lebendigkeit und fast poetische Mahlerei des Vortrags wundern? Das ganze Werk zeichnet sich durch Klarheit und fast populäre Verständlichkeit aus; nur zwei Stelle abgerechnet, wo Platon kosmische und astronomische Ideen in der uns und selbst den späteren Philosophen des Alterthums dunklen Zahlenlehre der Pythagoreer vorträgt (VIII, 546, A. ff. u. X, 616 C. ff. Vergl. Böckh in d. *Studien*. B. III, S. 44, ff.)».

Non multo secus Stallbaumius (¹) sensit, qui *internis* hisce argumentis instructus, tum *externis* praeterea conquisitis, contra Morgensternii opinionem docte et acute et urbane disputavit. In hac vero disputatione V. D. ita est versatus, ut primum studeat demonstrare quem Politia in omni Platonicorum sermonum numero occupare videatur locum, tum autem ejus aetatem accuratius consituere sit aggressus. «Verissime»— sic incipit Vir egregie de Platone meritus, (*Proleg. Repbl.* p. LXII, sqq.)—«a viris doctis observatum est, Politiam, propter argumenti in ea tractati ubertatem et amplitudinem videri non prius scribi potuisse, quam editis jam iis libris,

(¹) *Proleg. ad Remp.* Vol. III, Sect. 1. Plat. Diall. Select.

qui tum morum doctrinae, tum dialecticae et metaphysicae, quam vocant, singulos quosdam locos explicant. Etenim plurimae in hoc opere partes eaeque gravissimae totius doctrinae Platonicae ita connectuntur et explicantur, ut facile pateat philosophum, quum illud componeret, exploratis aliorum opinionibus, jam explicatam animo tenuisse suorum ipsius placitorum rationem». Imo etiam compluribus Politiae locis ad superiorum sermonum argumenta respici ostendit (¹). Monet praeterea disserendi quoque elegantiam in Politia tantam regnare, ut paucissimi sermones hoc in genere ad eam comparandi sint. «Quae si vera sunt», pergit V. D, «haud scio, an probabiliter liceat in universum definire, quo tempore Politia literis consignata sit. Quum enim praeterea certum sit atque exploratum, Timaeum, Critiam et Leges serius esse compositas, nec per fatum philosopho licuisse tertium de civilibus institutis opus condere; nihil potest esse verisimilius, quam Politiam non a juvene vel adolescente, sed a viro in summo aetatis flore constituto literis esse exaratam. Nam

(¹) Ad *Gorgiam* dicit cum universum fere primi et secundi libri argumentum referri, tum singulis respici locis, ut: libr. IX, p. 586, *Ibid.* p. 583, B. cll. annott. ad h. ll. et Schleiermachero p. 604. Libr. VI, p. 487, D. E—Ad *Phaedonem* revocat libr. X, p. 611, A., cll. Schleierm. p. 616, sq. *Ibid.* B.—*Parmenidem* suspicatur Schleiermacherus commemorari libr. IV, p. 436, B. D. cll. annot. p. 556.—Idem (p. 550) conjecit *Politici* rationem haberi lib. IV, p. 423, c.—Ex loco libr. IX, p. 588, c, sqq. *Phaedrum* ante Politiam scriptum esse suspicatus est (p. 307, sq.).

hac demum aetate fieri potuit, ut philosophus sparsas sejunctasque doctrinae suae partes, antea singillatim illustratas, velut in unum corpus conjungeret omnesque divinae sapientiae copias ad civilem disciplinam aliasque graves quaestiones transferret». Quam sententiam Vir doctissimus multis aliis confirmari arbitratur. Etenim primum ante Socratis quidem obitum, qui incidit in Olymp. XCV, 1, sive ann. 400. a. Chr. non est verisimile philosophum ejusmodi scribendi consilium agitasse. Nam *Epistol.* VII, p. 325, A. sqq, quem locum a Morgensternio eodem fine productum esse vidimus, ipse narrat, se demum post Socratis injustissimum judicium animadvertisse, omnes, quae tunc essent, civitates male esse constitutas. Quam sententiam necesse est, ut susceperit philosophus, priusquam ad Politiam scribendam accederet. — Sed nec proximo, ait Stallbaumius, quod insecutum est, tempore verisimile est Platonem ad opus praestantissimum animum applicuisse. Etenim post mortem Socratis amici ejus et familiares Megaram fugerunt, ubi constat Platonem aliquamdiu Euclidis usum esse consuetudine. Postea multum, ait, temporis itineribus faciendis colligendisque sapientiae opibus consumpsit, ut praeter scripta quae-

Deinde lib. V, p. 474, C. sq; VI, p. 485, A. B; p. 490, A. B. *Convivii* rationem haberi arbitratur Stallbaumius.—Cum *Philebo* denique dicit arctissimam Politiae intercedere necessitudinem: v. annott. ad libr. VII, p. 525, A; IX, p. 584, C; p. 583, B. cll. Schleierm. p. 604. Libr. VI, p. 505, B. sqq. coll. Schleierm. p. 570, sq. *Ibid.* p. 506, B.

dam, in quibus Socratis defendendi consilium manifestum est, nihil fere in lucem videatur emisisse.—Certe quidem, sic pergit Vir amplissimus, Politia intra hoc decennium, quod usque ad primum iter in Siciliam susceptum, sive usque ad Olymp. XCVII, 4. h. e. ann. 389. a. Chr. n. effluxit, nondum videtur scripta esse, licet philosophum de ea jam cogitasse minime negare velit. Nam primum, si aliquot ejus locis Convivii ratio habeatur, sponte consequitur, ut non potuerit ante Olymp. XCVIII, 4, evulgari.—Deinde, inquit, libro *octavo* atque *nono* tyranni mores iis depinguntur coloribus, ut toto loco diligenter lectitato non possis non fateri ingenium Dionysii, tyranni Syracusani, paene ad vivum esse expressum. Quod certe, e sententia Stallbaumii, fieri vix potuit, si hi sermones ante Olympiadis XCVIII initium exarati sint. — Porro doctrinae Pythagoricae vestigia in iis satis manifesta exstant, veluti libr. VIII, p. 546, A. sqq. X, p. 616, C. sq. Cum vero dubitare liceat, an philosophus ante primum iter in Italiam Siciliamque susceptum accuratiorem placitorum et institutorum Pythagoricorum cognitionem sibi nondum comparaverit, hac quoque re sententiam suam confirmari Stallbaumius censet.— Idem fere de Aegyptiorum institutis judicat.—Accedit, quod, cum in ceteris dialogis, quos ante primum illud iter scriptos esse suspicari liceat, nulla fere declarandae Socratis innocentiae occasio praetermittatur, tamen in Politia, licet ipsum disputationis argumentum multam hujus rei opportunitatem praeberet, ne verbo quidem, ut putat V. D., hunc locum attigerit. «Nimirum fallor—haec sunt verba Stallbaumii — aut temporis diuturnitas dolori ex magistri morte suscepto jam aliquam

medicinam attulerat. Quod est verisimilius, quod etiam in iis libris, quos Politia serius scriptos esse exploratum habemus, hoc est in Timaeo, Critia, Legibus, nullum reperias locum, in quo Socratis innocentia defendatur et in illustriore luce collocetur».—Huc denique accedit Ismeniae Thebani mentio, I, p. 336, A. ita injecta, ut, cum haec scriberentur, non amplius eum vixisse existimet Stallbaumius. Ex his igitur omnibus concludit Vir illustrissimus, Politiam ante Olymp. XCVIII non esse in lucem emissam. Neque tamen eam post Olymp. C scribi esse coeptam arbitratur. Nam in sermonibus his cum summa sententiarum perspicuitate ac judicii subtilitate admirabilem conjunctam esse declarat orationis elegantiam splendidumque verborum ornatum. Quae quidem virtutes si ulli aetati, certe virili conveniunt, quam et a juventutis luxurie et a senectutis infirmitate pariter abesse, atque hujus prudentiam cum venusti pulcrique sensu, quo illa acriore pollet, copulatam habere merito dicit. Cum vero Plato ineunte Olymp. C. jam quinquagesimum aetatis annum attigerit, non esse verisimile Stallbaumius putat eum hac aetate opus amplissimum et ornatissimum componere coepisse, praesertim cum postea etiam Timaeum et Critiam ediderit, qui libri fere iisdem splendent ingenii virtutibus. Quapropter Politiam totam, non magna inter singularum partium editionem temporum intercapedine interjecta, judicavit V. D. intra annum Platonis quadragesimum sextum et quinquagesimum quartum in lucem esse emissam, ita ut supervacanea sit tum eorum opinio, qui Wolfio, *Prolegg. ad Homer.* p. CLIII, obsecu-

ti ([1]), Platonem Politiae repetitam adhibuisse recensionem suspicentur, tum etiam eorum sententia, qui Ecclesiazusas contra Politiam scriptas esse hariolentur, quae nil aliud rerum agant, si Stallbaumio credendum, quam ut Atheniensium λακωνομανίαν exagitent.

Quod ad aetatem Politiae attinet, non multum quidem a praecedentibus dissentit sollertissimus antiquitatis investigator C. Fr. Hermannus. Nam etsi ille quidem, qua pollet ingenii acie, docet nos sese in praestantissimo opere, cui praeterea ullum cum Ecclesiazusis intercedere commercium denegat, inter singulos libros juncturas detexisse et rimas, tanquam videlicet certissima vestigia libros hos diversis temporum intervallis esse compositos, et non nisi paullatim demum in unum corpus conflatos; non eo tamen minus omnes, excepto primo, inter extrema Platonis scripta collocat. «Damit ist jedoch keineswegs behauptet, sic scribit Vir clarissimus, dass mit Ausnahme des ersten Buchs nicht alles Uebrige gleichfalls der letzen Schriftstellerperiode angehören dürfte, die ja gross genug ist, um, wenn es die Sache verlangt, den Schluss zwanzig und mehr Jahre später als den Anfang zu setzen, und so wahrscheinlich es auch seyn mag, dass der Kern des Werkes bereits vor

---

[1] Ceterum jam dudum ante Wolfium scripsit, ut alios taceam, Petitus, *Miscell* III, 2.: «*Verum cum saepe Plato, ut testantur veteres, sua scripta interpolaverit atque recentarit: postremum in hunc ordinem et in has Tetralogias digessisse ac distribuisse nobis quidem videtur*».

der zweiten Reise nach Syracus vollendet war,....so weist doch Anderes wieder eben so deutlich darauf hin, dass Plato den Verfall des spartanischen Staats und das Treiben des älteren Dionys als Augenzeuge kannte».... *Gesch. d. Pl. Ph.* p. 540, sq.

III.

En tibi de aetate Politiae doctorum decreta; quae pleniore quidem manu perscripsisse nos non taeduit tum propter rei gravitatem atque auctorum magnam apud nos existimationem, tum etiam propter lectores, quales eventuros nobis fingimus, utque eveniant optamus, non admodum illos lauta librorum supellectile instructos. Quorsum vero his perlustratis tuus nunc inclinet animus, nullus equidem dubito, idque eo etiam minus, quod Morgensterniana causa a suo patrono deserta quasi jacet. Sed cum in hoc quaestionum genere quo quis doctior, eo remotior soleat esse a fiducia, ut sese rem acu quasi tetigisse contendat atque ad exitum adduxisse, magno jam ponens in lucro si aliquem saltem probabilitatis gradum attigerit: non dabitur, certe, nobis arrogantiae, si ingenua usi παῤῥησίᾳ, in solis, eheu, philologicis certaminibus concessa, liberius quaeramus, quid eorum, quae in hac causa sunt prolata, claris omnia insignita nominibus, pro liquido accipiamus et contestato, quid rursus obloquendi ansam praebere nobis posse videatur. Age igi-

tur eamus in Morgensternii sententiam, atque experiamur eorum argumentorum aciem, quibus Politiam ante primum Siciliense iter, i. e. sub annum Platonis quadragesimum, confici potuisse Morgensternio negant.

Primum, quod ad *interna*, ut dicuntur, argumenta attinet, ex intima videlicet operis indole deducenda, quibus in dijudicandis scriptorum operibus uti critici solent, ea quam sint aleae plena atque fallacia, in confessum omnibus venit. At si in ulla alia disquisitione, certe in aetate auctoris, qua suum ediderit scriptum divinanda, integra stare fide rarius talia possunt. Nam cum harum rerum judicium pendeat, maxima parte, ex proprio judicantis sensu, accidit saepe hic, quod in proverbio est: quot capita tot sententiae, adeo, ut fluctues, quodnam sequendum tibi sit nomen. Neque id mirum. Etiamsi enim ingenia humana aeque firmis stabilibusque temporum regerentur vicibus ac frutices et arbusta reguntur, ut nunquam fallare, qua anni hora virescant et floreant, qua decerpendi fructus, quando denique dispereundi veniat necessitas; ne tum quidem, in tanta ingeniorum diversitate inque operum varietate tanta, pro rato certoque praecipere ausis, quo pacto ex litterarum signis juvenilis artificum efflorescat fervor, aut qualia maturae aetatis indicia languescentisve senectutis. Sed quid? quod mortalium natura saepissime tam insolenter temperata inveniatur, ut in juvene suspicias verecundiam et gravitatem et severitatem, qualis etiam Plato in juventute fuisse a nonnullis fertur; cum altera ex parte non soli, credo, septem sapientum sapientissimo in senectute alacri et hilara cantare contingat:

Ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα, καὶ Διονύσου,
καὶ Μουσέων, ἃ τίθησ' ἀνδράσιν εὐφροσύνας.

Quid? quod et **artis** adjumentum supplere valeat ea, quae ademerit aetas, et **argumenti** amplitudo atque dignitas juvenilem etiam *regere animum et pectora mulcere.* Quam caute praeterea in calculos vocandus sit libri **finis** et **consilium**, si ex scriptionis colore de scriptoris aetate augurari volueris, documento esse potest vel *Phaedrus*, propter *puerile*, ut visum est, argumentum, ac nescio quid *dithyrambici* furoris ab antiquis judicibus pro juvenili Platonis foetu injuste condemnatus. His ita comparatis, quam multi, quaeso, inveniantur, qui incolumi fide spondere possint, se tam bene sibi cognitum habere scriptorem, ut quid tribuendum sit naturae, quid arti; quid ex operis consilio aestimandum, quid irrogandum arbitrio artificis, in uno quoque ejus operum, sola acuminis ac sagacitatis ope in auxilium vocata, probe discernere atque definire queant? Quanto id minus apud Platonem, apud quem *prosopopoeiae* praeterea artificium difficultates auget.

Quae si ita sese habeant, noli in re tam implicita ac tortuosa (¹) judicum discrepantiam culpare, quam non minimam

---

(¹) Elegantissime hac de re Karpov. *Version. Opp. Plat.* T. 1. p. 52: *«тутъ надобно искать истины въ едва замѣтныхъ оттѣнкахъ, которые являются и исчезаютъ съ быстротою неуловимыхъ переливовъ свѣта и тѣни; тутъ живость и важность, юность и старость мѣняются почти съ каждою страницею творенія».*

quidem in praesenti maxime actione offendes. Etenim orationis ornatum, sententiarum copiam et maturitatem, a quibus Politia magnopere commendatur, sumpsit Astius pro consummatae jam aetatis indiciis, cum Stallbaumius virile in iis robur sensit; at comparata, ut Boeckhius fecit (*In Plat. Minoem.* Halis, 1806, p. 72.), Politia cum *Legibus*, utriusque operis indolem ita diversam invenies, ut, nisi ex hoc senectutem loqui dubitaveris, in illa adolescentiae, imo juventutis colorem agnoscas necesse sit. Morgensternius denique utriusque aetatis notas in Politia deprehendit, quas a Platone longiore lima et politura impressas esse suspicatur. De operis quidem recensione iterata nondum inter doctos convenit. Sed quid ni Plato consociaverit copulaveritque diversas has virtutes tunc, cum in illo bicipiti vitae stetit termino, ubi et a juventutis alacritate nondum prorsus deserimur, et iis jam frui incipimus commodis, quibus vegeta gaudeat senectus? Hoc tamen cui nam aetatis anno magis conveniat, quam quadragesimo, alii dicant.

Neve argumenti ubertatem et amplitudinem mirere; nil enim hoc tam fuerit insolitum, si quadragenarius philosophus, *exploratis jam aliorum opinionibus*, nisi *certam absolutamque animo tenuerit omnium suorum ipsius placitorum rationem*, at capitale aliquod et amplum susceperit argumentum, in quo proprium quasi virium periculum faceret. Newton certe nondum triginta annos natus invenerat jam omnia illa, quibus posteriore vitae aetate perfectis atque absolutis, *congratulabantur sibi mortales*—ut scriptum est in ejus sepulcro—*tale tantumque extitisse humani generis decus;* non multo vero major quadragenario edidit sua *Principia Philosophiae Naturalis*, propter quae ab aequalibus ceu Deus aliquis est cultus. — Grande sane est argumentum Politiae et amplum, ita ut merito Schleiermacherus operi huic principem inter reliquos Platonis libros concesserit locum, ac superstruxerit id toti Platonico systemati sibi ordinando. Nihilo tamen magis inde sequitur assimilandam esse Politiam aedificii cumulo, ut eam Schleiermacherus sibi fingit (*), cui ceteri dialogi columnarum ac parietum sint loco. Jam comparaverit potius quis—si modo comparando quid lucramur—cum speculo aliquo, ubi excipiuntur quidem et colliguntur radii solis, sed iidem etiam sic repercutiuntur aliorsum ac remittuntur, ut idem loci punctum et lucis receptaculum sit, et simul fons fiat novae lucis. Nam si satis philosophici succi anterioribus elaborati operibus in Politiam influxerit, haud nihil forte materiae ex ipso hoc opere redundare potuit Philosopho nostro, posterioribus scriptis data opera sive illustratae sive illustrandae. Non ergo infitias iverim complures Politiae locos respicere ad reliquorum scriptorum

(*) *Einl.* p. 46, sq. «Der Staat, als offenbar das früheste unter den eigentlich darstellenden Werken, setzt schon alle, die nicht in diese Klasse gehören, voraus, und dies prächtige Gebäude enthält gleichsam in seinem Fussboden die Schlusssteine aller jener auch herrlichen Gewölbe eingemauert, auf denen es ruht, und die man vor dem Eintritt in jenes, wenn man sie nur für sich betrachtet und sich in ihnen selbst umschaut, ohne Ahndung ihrer Bestimmung zwecklos und unvollendet nennen möchte».

argumenta. Verum enim vero isti loci videntur nobis ita esse comparati, ut, si ulla intercedat iis cum reliquis dialogis necessitudo, nesciam an non minore veritatis specie illorum dialogorum argumenta inde deducta potius esse contenderis. Nolumus jam dicere plerosque hos dialogos, etiamsi revera praecessissent Politiae, tamen nil momenti ad opus hoc ulterius protrudendum habere; siquidem ex ipso Stallbaumio discimus eos probabiliter sisti posse ante primum Siciliense iter, ergo ante illum terminum, quem Morgensternius Politiae assignavit. At cum ipse doctissimus Stallbaumius profiteatur, de his rebus judicium *lubricum esse et ad errorem proclive*, satius esse reor, si singula quaeque, ab ipso, nec non a Schleiermachero indicata, lectoribus ipsis examinanda dijudicandaque relinquam. Lubeat tamen paulisper immorari in loco quodam *Theaeteti* (p. 172, sqq.), quem C. Fr. Hermannus (¹) pro documento sumit contra Morgensternianam opinionem. Quae enim ibi sapientis imago exhibetur, haec, si obsequendum Hermanno, ita abhorret ab iis

(¹) *Gesch. d. Pl. Ph.* p. 536, sq. «Dass die platonische Republik im Ganzen nicht schon wenige Jahre nach Sokrates Tode geschrieben sey, wie namentlich Morgenstern und neuerdings Bergk aus den vermeinten Anspielungen auf sie in Aristophanes Ecclesiazusen geschlossen haben, liesse sich auch abgesehn von allen inneren Gründen schon aus dem Gegensatze darthun, der zwischen der mehrerwähnten [cf. p. 39.] Stelle im Theaetet, wo der Philosoph als ganz untauglich für das irdische Leben dargestellt ist, und der praktischen Rolle obwaltet, die ihm das sechste und siebente Buch der Republik selbst wieder seinen Willen anweist: VI, p. 500. D; VII, p. 520 A fgg».

officiis, quae in quinto et sexto Politiae libris philosopho vel invito injunguntur, ut magnam inter utrumque opus temporum intercapedinem dignoscas. Quandoquidem Plato, recenti sine dubio, Socratis injuria adhuc saucius, in hoc dialogo, qui certe ante mediam Olympiadem XCVI componi non potuit (¹), verum sapientem civilia negotia omnino aversari declarat; in divina autem Republica jam ita cum vitae communis usu tandem reconciliatus esse apparet, ut philosophos ad civitatis gubernaculum acciat: quae, certe, sententiae conversio non nisi longa annorum serie effici potuerit.—Verum tamen vero haec, nisi egregie fallimur, neutiquam inter se pugnant. Dicit quidem Socrates in Theaeteto philosophum ita occupatum esse in rerum natura contemplanda, ut, si quando in forum descendat, aut in judicium, aut in senatum, γέλωτα Θρᾴτταις παρέχει; quod in Politia quoque non semel pronunciat, veluti VI, p. 487, sqq. Utrobique etiam causam istius fastidii apponit: quod nempe in rebuspublicis dominantur nunc ii, quibus *animi magnitudinem, rectitudinem et libertatem servitus a pueritia abstulit* (*Theaet.* p. 173, A; p. 174, sq. cll. *Resp.* VI, p. 488, sqq.). Ne igitur philosophus in tam pestilenti aura suffocetur, aut, ut in Politia dicitur (VI, p. 497, B.), *veluti peregrinum semen in alienum solum jactum debilitetur*: praecipitur in Theaeteto (p. 176.) sapienti *conandum esse, ut hinc illuc celerrime fugiat;*

(¹) Notum est p. 142, A. commemori pugnam Corinthiacam, Ol. XCVI, 2 pugnatam. Ceterum cf. Schleierm. *Introd. in Theaet.* II, 1, p. 185.

fuga autem est, ut Deo similis pro viribus efficiatur. Neque enim viro illi, ut alloquitur Socrates Adimantum *Repbl.* VI, p. 500 B, cll. p. 497 B, *qui omnem mentis aciem ad ea, quae vere sunt. direxit, otium superest, quo negotia hominum inferiora respiciat, cumque illis pugnans invidiam sibi et malevolentiam conflet.* Sic cum de *realibus*—fiat venia verbo — civitatibus est sermo, corruptis illis et depravatis, in Politia aeque atque in Theaeteto Plato philosophis ab earum regimine abstinendum esse docet. Sed num sapiens, *si necessitate aliqua inductus fuerit, ut ea, quae illic intuetur, ad mores privatim et publice transferret, iners faber temperantiae justitiaeque et universae popularis virtutis fuerit* (*Resp.* VI, p. 500 D.)? hoc in Politia quidem deliberatur, in Theaeteto autem non est, vel, ut rectius loquar, nondum est tactum. Quocirca agi non potuit ibi de eo, quod in Politia demum examinatur: possitne aliquo pacto fieri, *ut civilis potentia et philosophia in idem concurrant*, ut scriptum est *Reip.* V, p. 473 D. At postquam Plato, eximius ζωγράφος, *delineavit Civitatem usus divino illo exemplo* (*Ibid.* VI, p. 500 extr.), in quod perpetuo intenti sunt sapientis oculi: per se consecutum est, ut Civitatem hanc ita *convenire* philosopho censeret, ut *in ea et ipsum proficere atque emicare magis* pronunciaret, *et privata simul publicaque servare* (*Ibid.* VI, 497, A.). Itaque, quos in Theaeteto, cum de humanis civitatibus cogitaret, plebeculae despectui esse narrat, non mirum si ii civilibus negotiis sese committere possunt in illa Republica, quae tota ad summi boni justique exemplar descripta est ac delineata; non mirum si etiam coacti sunt capessere eam, cujus singulari cura nutriti sunt atque educati. Hoc itaque modo explicaverim

locum ab Hermanno indicatum *Rep.* VII, p. 520, A. sqq. «*Considera itaque*, sic ibi Glauconem compellit Socrates, *tantum abesse ut philosophos, qui apud nos reperiuntur, injuria ulla afficiamus, ut cum cogemus eos aliorum curam gerere, jure in hunc modum dicamus: Illi videlicet quicunque in aliis civitatibus philosophi reperiuntur, ob hanc causam merito administrandae reipublicae labores refugiunt, quia in qualibet civitate ipsi per se nascuntur republica non curante; par autem est, quod per se nascitur, cum nulli pro alimentis acceptis sit obnoxium, nulli exhibere nutrimenti mercedem; nos autem vos tam vobismet quam reliquis civibus, tanquam in apum examine duces ac reges creavimus melius perfectiusque eruditos, aptioresque ad utramque curam suscipiendam; descendere ergo vicissim debetis singuli in aliorum hominum coetum, et ad obscura inspicienda assuefieri*». Sic ergo, quantum capio, in Politia supplentur deditaque opera explicantur atque illustrantur, quae in Theaeteto obiter tantummodo sunt tacta, tamen ita supplentur, ut nil impedire videatur, quominus suspicetur quis Platonem etiam tum, cum hunc dialogum componeret ea jam animo tenuisse suo, quamvis scripto nondum mandata.

Accedamus nunc ad alia argumenta, quae jam non ita sunt aëria et fluxa, ut aegre sub libram ac mensuram cadant. Tyranni mores libro octavo atque nono iis dicunt depictos esse coloribus, ut non possis non fateri ingenium Dionysii Syracusani paene ad vivum esse expressum; quod cum fieri potuisse negent antequam Plato penitus quasi in domesticum

usum atque consuetudinem cum eo sese immerserit, colligunt inde sermones hos ante Olympiadis XCVIII initium, i. e. ante primam Platonis in Siciliam peregrinationem, non esse in lucem emissos.—Sed etiam hoc, si quid capiam, alio praeterea aliquo modo extricari posse putamus. Etenim misera mortalium fuerit conditio, si nihil probe sciri et vivide describi posset, nisi quod manibus antea attrectatum, sumptum atque excussum fuerit. Quasi in tanto Athenarum cum Syracusis commercio non potuerit Plato, etiam tum cum domi adhuc maneret, compertum sibi habere, quid rerum ageret Dionysius. Quae vero fama et auditione acceperat, nonne ea, phantasiae ope, ita exornare valuerit, ut spirare et loqui viderentur? Ceterum non video cur ea, quae in Politia de tyranno producuntur, ad solum Syracusanum dominum sint trahenda, cum id bestiarum genus ubique eundem suboleat odorem. Cadunt quidem multa in Dionysium (¹); attamen insunt forte non pauca, quae non cadant. Imo quae a doctis Dionysio adjudicantur, ea sine magno, hercule, discrimine in alium etiam quempiam tyrannum transtuleris. Ecquemnam, pro deum atque hominum fidem, ex tota eorum caterva ita moratum invenies, ut *semel gustatis lingua impura et profano ore humanis visceribus*, aeque ac Lycaon ille *lupus ex homine factus, cognato abstineat*

(¹) Hermannus l. l. p. 695, n. 682 conferre jubet *Rep.* VIII, p. 567, A cum Aristot. *Politic.* V, 9, 5; et p. 568, D cum Cicer. *N. D.* III, 34; item IX, p. 578, C. cum ejusd. *Tuscul.* V, 20; denique p. 579, B cum Diodor. Sic. XIV, 109 et Dionys. Hal. *Jud. Lysiae* c. 29.

sanguine (*Reip.* VIII, p. 565, D.), neque concitet bella tributisque populi non consumat facultates, quod de Dionysio Aristoteles tradit, *ut qui sub eo sunt*—ut Platonis verba (*Ibid.* p. 567. A.) apponam, cum Aristotelis illis conferenda—*plurimis exhausti sumptibus ad quotidianum victum converti cogantur, minusque adversus tyrannum insidias meditentur?* Qui parcat sacrae templorum supellectili, qui a deorum etiam simulacris, sicuti de Dionysio traditum est, sacrilegam abstineat manum, *ut habeat unde alat exercitum illum suum praeclarum, varium semperque diversum* (*Ibid.* p. 568, D)? Et postquam replevit civitatem *lamentationibus, suspiriis, fletu et angustiis* (*Ibid.* p. 578, D.), an ei desinat umquam supra cervicem haerere Damocleus ille ensis, adeo ut infelicissimam agat vitam? Quotus denique quisque tyrannorum—excepto forte Nerone, cui pulverem Olympicum collegisse contigerat—non conqueratur *sibi soli neque egredi umquam* sine metu *licere, neque inspicere, quod liberi alii cupiunt?* Quotus *non invideat civibus aliis, si qui extra moenia* secure *spatientur et boni quidquam spectent* (*Ibid.* p. 579, B.)?—Quod si respondendum esset, undenam gentium Plato conquisiverit colores ad imaginem suam expingendam, non de alio equidem cogitarem fonte, quam unde Aristoteles etiam hauriebat, quae in quinto *Politicorum* libro de tyrannide disseruit: historiam intelligo, *testem temporum, lucem veritatis, vitae memoriam, nuntiam vetustatis*, quae voce sua mortalium nomina et immortalitati tradit, et dira defigit imprecatione. Et quot praeterea non viderit Plato *viros tyrannicos* Athenis ipsis, affectis tunc putrida democratia, fecunda illa Critiarum et Catilinarum nutrice! Imo, si hoc tam necesse esset, potuerint inveniri

inter externos dominos tales, quibuscum Noster familiariter vixit, antequam Syracusanum illud scelus cognovit. Sic Speusippus, teste Athenaeo, XI, p. 506, E. auctor est Platonem *φίλτατον* fuisse Archelao Macedonum regi, qui non multo post Socratem vita defunctus esse videtur: v. Clint. *F. H.* p. 239. Krüger; Hermann. l. l. p. 586, n. 184. Nihilo tamen minus verba illa (*Reip.* IX, p. 577, A. B.), quibus Plato visus est Morgensternio suam cum tyranno consuetudinem significare, eodem consilio scripta esse reor, quo Socrates in *Gorgia*, p. 470, D. respondit Polo quaerenti, utrum beatus sibi videatur esse Archelaus, nec ne: *οὐκ οἶδα, ὦ Πῶλε· οὐ γάρ πω συγγέγονα τῷ ἀνδρί.— Τί δαί; συγγενόμενος ἂν γνοίης, ἄλλως δὲ αὐτόθεν οὐ γιγνώσκεις, ὅτι εὐδαιμονεῖ;— Μὰ Δί' οὐ δῆτα.* Nempe prudentem debere, si de tyranni felicitate recte judicare voluerit, non, sicuti profanum vulgus, externum ejus praedicare splendorem, sed eam considerare vitam, quam ille inter domesticos agat parietes, ubi *μάλιστα γυμνὸς ἂν ὀφθείη τῆς τραγικῆς σκευῆς*. Quod cum utrobique dicere res ipsa postulaverit, nondum inde sequitur, fueritne jam ipse Plato umquam tyrannicae beatitudinis testis, nec ne.

Eadem prope argumentatione uti liceat in subsequenti disquisitionis nostrae capite. Nam, quantum intelligam, non admodum necesse est, ut, quidquid ex Pythagoreorum atque Aegyptiorum institutis apud Nostrum reperiatur, id oculata eum sibi collegisse cognitione statuamus. Quandoquidem nemo est, qui Platonem Persas etiam et Getas propriis lustrasse oculis inde concludat, quod istorum quoque populorum instituta

et mores ei haud ignotos fuisse videt. — Atqui non solum institutorum Pythagoricorum, verum etiam pythagoricae doctrinae, cujus vestigia satis quidem manifesta in Politia deprehenduntur, accuratam notitiam Philosopho nostro domi etiam comparare dabatur. Admodum enim verisimile est doctrinam hanc jam dudum per universam serpsisse Graeciam, ita ut fieri vix potuerit, ut non Athenas penetraret utque Plato diu ejus rudis maneret: praesertim cum ipse in *Phaedone* (*) auctor sit nobis Cebetem et Simmiam Thebanos, apud quos Philolaus profuga commorabatur, una secum Socratis fructos esse magisterio.

Politiam nequaquam paucis post Socratis supplicium annis esse compositam inde praeterea Stallbaumius conjicit, quod in ea ne

---

(*) *Phaed.* p. 61. D. *Τί δαί, ὦ Κέβης; οὐκ ἀκηκόατε σύ τε καὶ Σιμμίας περὶ τῶν τοιούτων Φιλολάῳ συγγεγονότες; Οὐδέν γε σαφές, ὦ Σώκρατες. Ἀλλὰ μὴν κἀγὼ ἐξ ἀκοῆς περὶ αὐτῶν λέγω.* ubi v. Ipp. cll. Hermanno ll. p. 48, sq; p. 162; p. 380, sq.—Ita, quae apud Pindarum (*Ol.* II, v. 68, sq. cll. *Thren.* fr. 2.) de migratione animarum leguntur, ea potius in Magna Graecia atque Sicilia a Pythagoreis esse mutuo ab ipso sumpta crediderim, quam ex Orphicorum communi fonte hausta. Ad Pindarum enim «schliesst sich fast unmittelbar Plato im Phädon an», dicit Winiewski in Dissertatione: *Quae fuerit Graecorum ante Platonem expectatio vitae post mortem futurae* ut accipimus ex *Zeitschr. f. d. Alterth.* 1846. N° 23. extr. Utrum vero in *Gorgia*, p. 493, A. *κομψὸς ἀνήρ, ἴσως Σικελός τις ἢ Ἰταλικός*, Philoloaus sit intelligendus, an Empedocles, inter Böckhium et Stallbaumium non convenit.—

verbo quidem magistri innocentiam Plato attigerit. Cujus silentii causam in temporis diuturnitate quaerit V. D., tanquam remisso videlicet aliquatenus dolore, quem Socratis poena olim commoverat, etiam patrocinium illud cessare debuerit.—Nescio equidem quantum ipse Vir clarissimus huic suo tribuat argumento; sed si in eo rei discrimen versaretur, potuerimus, sine dubio, haud pauca talia in Politia expiscari, quae ad Socratis declarandam innocentiam manifeste tendere videantur. Sic, ut exemplum afferam, possisne ab oculis tuis depellere imaginem Socratis, pro vero ac justo injustissime trucidati, quando in sublimi illa, sub initium septimi libri, parabola legas: si quis e luce ac die in antri tenebras reversus, miseriae suae consortibus explicare studuerit, quidquid ab ipsis pro veris habeatur rebus, umbram esse inanem: eum a miseris istis pro corrupto atque coecutiente habitum iri; imo dicetur etiam ab iis *nunquam ad supra esse contendendum, et eum, qui solvere tentet et sursum ducere, si deprehendatur, protinus occidendum* (*Reip.* VII, p. 517, A. Add. VI, p. 492, D; 494, E; 496, D. E.). Nonne jam ipsa philosophiae defensio, ac tergeminus ille, quo in Civitate est mactata honor, Socratis condemnati sit patrocinium? Ceterum non curamus, si ista huc spectare negaveris. Nam si quis fuerit modus tam cari capitis desiderio, si saltem, ut Stallbaumius vult, terminus aliquis, quo excurrente luctum sustulerit vetustas: quidni jam X hos annos, qui a Socratis nece ad primum Siciliense iter sunt elapsi, suffecisse dicam ad talem saltem medicinam dolori ex magistri morte suscepto afferendam, ut, etiamsi antea quidem, dum recenti adhuc maderet moerore, Plato vel mediam nonnunquam rupturus esset orationem, ut suo patrocinaretur Socrati, neque

talem defensionem, tacitam illam ac furtivam, cum magistri memoriae inutilem, tum sua ipsius parum esse dignam existimatione intelligeret: nunc tamen aliquantum mitigatus abstinuerit ea atque supersederit. Sed quid ego in talibus immorer? Socratis enim apologia non solum, quantum sentimus, propter innocentiam viri declarandam suscipienda fuit Platoni: praesertim, cum vix tunc superesset aliquis, quem non poenituerit caedis perpetratae in πάνσοφον illam τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα μουσᾶν. Eo etiam minus propter recrudescentem dolorem Plato eam suscepisse credendus, aut denique, ut sub Socratis obtentu propriae succurreret invidiae (Schleierm. *Opp. Pl.* II, I, p. 18; III, I, p. 38.). Etenim vereor ne aliud praeterea aliquod philosopho nostro defendendi Magistrum fuerit consilium, his omnibus haud facile secundum. Proposuit nimirum nobis Plato Socratem pro perfectissimo sapientiae exemplo, quem talem vitam vixisse videremus, qualem vivendam ex ipsius ore in suis libris praeceperit. Quo igitur sublimiores nisus Platonis assumeret disciplina, eo clariori, dixeris, in luce collocanda ei fuit magistri persona. Non ergo mirum, si *Phaedonem* et *Convivium*, in quibus memoriam Socratis propugnandi consilium satis quidem est manifestum, jam dudum deposito moerore et luctu composuerit. Neque tamen magis mirum, si locus hic in Timaeo et Critia praetermissus inveniatur: cum et alter eorum imperfectus legatur, et utriusque argumentum tam parum Socraticum sit, ut Socrati ibi non protagonistae delatae sint partes, sed arbitri modo et auditoris.

Quae Plato *Reip.* I, p. 336, A. de Ismenia adspersit, dicens videri sibi perversam istam sententiam de justitia esse

Periandri aut Perdiccae aut Xerxis aut Ismeniae Thebani ἢ τινος ἄλλου μέγα οἰομένου δύνασθαι, πλουσίου ἀνδρός: haec Stallbaumius ita ad suas flectit rationes, ut ei testimonium deponant pro seriore Politiae scriptione. Nam cum hoc loco Ismenias inter homines potentes una cum Periandro, Perdicca et Xerxe, superioris aetatis tyrannis, referatur, verisimile esse dicit eum et ipsum, cum haec a Platone scriberentur, non amplius vixisse, sed jam mortuum fuisse. Quod si ita sit, sequitur, ut Politia post Olymp. XCIX, ½, quo nempe anno Ismenias Lacedaemoniis Cadmeam tenentibus capite plexus est, scripta putari debeat. Quamquam ipse V. D. non vult huic rationi multum tribuere. Et merito id quidem, si quid sapiamus; nam hoc etiam argumentum dubii vitio vacare nobis non videtur. Etenim quaenam ista, quaeso, tanta Thebani demagogi fuerit potentia, quae tantae opes, ut Noster eum, unum omnium maxime, in eodem cum terrarum dominis ordine collocaret? Eo quidem minus intelligo, cur hic praecipue—neglecta etiam temporis ratione, quo dialogi scena fingitur (¹)—tam opportunus Platoni sit visus, qui digito quasi monstraretur, quod, qua vivus laboraret invidia, propter pecuniam a magno rege per Tithraustem Ol. XCVI a. 1. vel 2 acceptam, eam sublevare jam

(¹) *Anachronismum* in hac mentione Ismeniae agnovit Boeckhius, quo judice Plato sermones de Republica Ol. XCII, 2 peroratos esse finxit, non repugnante Vatero, qui eos ad Ol. XC removet; ut jam taceam Ismeniam hunc nullo pacto accommodari posse huic tempori, quo Hermannus (Ol. LXXXVII, 3.), aut Hoelscherus et Bergkius (Ol. LXXXIV, 4.) dialogi scenam collocant.

aliquatenus debuerit poena, iniquo modo ipsi irrogata. Fallor, aut in ista Ismeniae in potentissimorum tyrannorum collegium cooptatione delitescit vehementissima ejus castigatio, non sine acerba quadam irrisione. Quod nullam equidem propter aliam magis idoneam causam a Philosopho factum esse auctumaverim, quam propter indignationem recentis adhuc, necdum infelici nece expiatae nequitiae, quam Ismenias commiserat. Atqui hoc in ipsa illa quadrat tempora, quibus Politiae scriptio est assignanda, si eam Comicus in Ecclesiazusis tetigerit.—Eundem sine dubio, ut jam Schleiermacherus monuit, Ismeniam pupugit praeterea Plato in *Menone* p. 90, A, ubi eum vocat τὸν νῦν νεωστὶ εἰληφότα τὰ Πολυκράτους χρήματα. Ad quem tamen locum haec annotavit Buttmannus: «Quamvis magnum argenti pondus L talenta tum temporis in Graecia fuisse videantur; tamen cum inter sex homines pecunia ea distributa sit, Ismeniae portio tanta profecto non fuit, ut comparationi huic inserviret, et τὰ Πολυκράτους χρήματα vocaretur: praesertim cum in Rep. inter potentes divitesque homines Ismenias ille Thebanus recenseatur. Ignoramus igitur ad quod potissimum factum Plato hic respiciat». Scrupulum hunc facilius, quantum sentiam, mihi tollo, si etiam h. l. parvam istam pecuniam, qua se Ismenias corrumpi est passus, non nisi per amarulentam ironiam *Polycrateas opes* nuncupatam esse fingo.

Non magis Morgensternianam sententiam infringat, quam fulciat potius, etiam illud indicium, quod Hermannus petivit ex *Reip.* VIII, p. 547, D. sq. Nimirum, collato hoc loco cum Xenoph. *Rep. Lac.* c. 14, Plut. *V. Lysandr.* c. 5, vidit acu-

te Vir illustrissimus Platoni, cum haec exararet, obversatum esse ante oculos in deterius conversum Spartanae reipublicae statum. Sed Spartanorum haec corruptela, de qua Xenophon cum Plutarcho, gliscere jam coepit post subversam Hellespontea clade Atheniensium θαλασσοκρατίαν. Tunc enim maxime est factum, ut Heraclidarum proles, quae ab avaritia hactenus intactam se teneret, Lysandri atque Agesilai ditata spoliis, antiqui Lycurgi instituta pessumdaret: v. Böckh. *O. P. Ath.* I, p. 32; Wachsmuth. *Hell. Alt.* I, 2 p. 257. Ed. pr.; K. H. Lachmann *Die Spart. Staatsverf.* Bresl. 1836. p. 290, sq. K. Fr. Hermann. *Gr. Staatsalterth.* §. 46.

IV.

Sic ergo argumenta ista, ex Opere ipso a Viris doctis contra Morgensternium prolata, neutiquam videntur nobis esse talia, quibus nihil opponi possit. Sed etiamsi quidem haec, quae a nobis contra sunt dicta, gradn manere non valuerint, nihilo tamen major propterea esset necessitas Politiam ultra primam Platonis in Siciliam peregrinationem protrudendi. Quandoquidem ea, quae ad posteriora spectare videntur tempora, Noster tunc jam adpinxisse potuerit, cum novo Rempublicam suam limaret Studio. Et profecto nihil est, quod nos ad denegandam operis hujus

recensionem compellat; ut autem eam suspicemur nonnulla etiam invitant suadentque. Decantatum est verbum Dionysii Halicarnassensis (v. spr. p. 73.) Platonem ad extremam usque aetatem scripta sua calamistrasse et pexisse varioque ea modo compsisse. Neque est, cur miretur Stallbaumius, quod ab iis, qui de variato ordine pauculorum exordii verborum monuerunt, de majore totius operis mutatione nihil ad posteritatis memoriam traditum est. Etiamsi enim et novissent philologi veteres Philosophum nostrum libros de Republica iteratis curis huc illuc attrectasse: tamen hoc nihil tam inauditum fuerit atque insolitum, quod digito quasi monstraretur; at vero famosa illa pugillaria, post mortem Platonis inventa, in quibus nescio quo casu sola illa prima quattuor Politiae verba multis modis scripta legerentur, non mirum, si prae ceteris Platonicae φιλοπονίας documentis in ora vulgi abierunt, utpote anxiae et scrupulosae, qua in poliendis dialogis suis uteretur industriae atque assiduitatis unum omnium maxime notabile exemplum.

Si haec ita sese habere argutemur, ecquidni ipsi tandem in medium producamus, quae his certiora scilicet et firmiora Musae alicujus afflatu acceperimus? Bona verba quaeso! Nullum nos thesaurum neque invenimus, neque etiam quaerimus, summo jam hoc posituri in lucro, si antiquam sententiam, quae nobis prae ceteris arrisit amplexi, eam pro tenui nostra Minerva defendamus. Sed antequam aleam hanc inibimus, juvet primum sciscitari, praesens causa talisne sit, de qua liceat quaestionem instituere? Nam ipsa jam haec, de qua statim locuti sumus, Politiae recensio in causa videtur esse, quominus ejus aetas defini-

ri certo umquam possit: quandoquidem et recensionis istius tempus incertum semper manebit, et incertum etiam discrimen, quod inter primariam Operis editionem atque hanc recensitam intercesserit. Quam ob rem Wolfius etiam judicavit (*Proleg. Homer.* p. CLIII.) *in optimis Platonis dialogis exquirere non licere, quando quisque compositus sit, cum in scenicis fabulis saltem ex didascaliis plerumque notum sit tempus, quo editae sunt.* Verum tamen vero propter solam hanc difficultatem nondum equidem de tota nostra causa tristiorem sententiam pronunciare ausim, neque prius de ea desperabo, quam convincar, judicium de ea totum pendere ex solis argumentis internis: cujus generis fuerunt, quae recensuimus praecedenti capite. Nam licebit forte confugere ad externa praeterea testimonia et probationes, si quae reperiantur. Et si earum auxilio semel probabiliter definire contigerit quando Politia primum in lucem apparuerit, non multum nos morabitur secunda Operis διαϭκευή. Haec enim vix tanta esse potuit, ut per eam primitiva librorum indoles et habitus perverteretur (1).

---

(1) Recensionem hanc descripserim in universum verbis illis Galeni *ad Hipp. de acut. morb.* T. XV. p. 424: ἐπιδιεϭκευάϭθαι λέγεται βιβλίον ἐπὶ τῷ προτέρῳ γεγραμμένῳ τὸ δεύτερον γραφέν, ὅταν τὴν ὑπόθεϭιν ἔχον τὴν αὐτὴν καὶ τὰς πλείϭτας τῶν ῥήϭεων τὰς αὐτάς, τινὰ μὲν ἀφῃρημένα τῶν ἐκ τοῦ προτέρου ϭυγγράμματος ἔχει, τινὰ δὲ προϭκείμενα, τινὰ δὲ ὑπηλλαγμένα. παράδειγμα δ' εἰ βούλει τούτου ϭαφηνείας ἕνεκα, τὸν δεύτερον Αὐτόλυκον Εὐπόλιδος ἔχεις ἐκ τοῦ προτέρου διεϭκευαϭμένον.

Deinde in extremum paene causa nostra adducitur discrimen opinione Hermanni (1), qui Politiam judicavit prodere vestigia suturarum, tamquam opus hoc ex variis diversorum temporum laciniis in unam compagem coaluisset. Verum vero cum talem disquisitionem vires nostras superare sentiamus, satis erit, si defungemur verbis G. F. Rettigii (*Prolegg. ad Plat. Rempbl.* Bernae, 1846.), qui nuper totius Reipublicae constructionem diligentissime illustravit. Hic enim memores nos esse debere monet (p. 146.), *quod tam egregium opus non frustatim, ut ajunt, sed simul in philosophi ingenio nasci debuerit.*

Age, demus id egregio Philosopho, eum jam tum, cum ad prima sese Politiae lineamenta adumbranda accinxerat, omnia futurae disputationis momenta animo suo bene explicata atque perponderata tenuisse, ita ut nulli amplius dubitemus quin perfectissimum opus conditum sit eadem partium constructione librorumque eodem tenore, quem hodie miramur. Sit hoc ita; attamen de illo praeterea ambigere licet, num sermones hi, ut concepti simul, sic etiam uno eodemque partu editi fuerint. Quin immo de duobus prioribus libris liquide traditum est

---

Cf. *Argum. Nubium*, quod in Didotiana ed. sextum est.

(1) V. spr. p. 88. cf. Id. Disputatio de Reip. Plat. temporibus. Marburg. 1839. p. 46: «*si recte suspicatus sum primum Reipublicae librum, unde totius oeconomiae constitutio pendet, multo prius quam reliquos sub ipsam Charmidae Lysidisque aetatem scriptum ac posterius demum iteratis curis ita concinnatum esse, ut reliquis aliquo modo conveniret*».

a Gellio, eos primum solos in vulgus prodiisse (¹). Unde facilis suspicio, eadem conditione ceteros quoque libros membratim quasi et per partes fuisse editos. Cum autem accidere potuerit, ut singulae istae partes insignioribus inter se temporum distarent intervallis, merito negaveris de Operis aetate umquam certi aliquid dici licere.—Verum vero hic etiam scrupulus videtur nobis esse supervacaneus. Etenim cum in hoc maxime opere, si quando, exsecuturus esset Noster praeceptum in *Phaedro* pronunciatum p. 264 C: *omnem orationem oportere tanquam animal quoddam constitui, ut suum quoddam habeat corpus, quod neque sine capite sit, neque pedibus careat, sed habeat media atque extrema sibi invicem et toti convenientia:* qua tunc, quaeso, sive nimia scribendi tarditate, sive edendi festinatione praepostera, in judicium populi per abortum quasi projecerit singillatim periclitanda trunca laceraque Operis membra, quae si omnia simul apparuissent suisque completa constitissent numeris, illo, hercule, non admirabiliorem loquerentur artificem? Nonne satius erat particulas istas in pugillaribus hucusque temporis deprimere, donec pulcerrimum corpus, nisi omnino totum completum extremamque expertum esset manum, at certa sal-

(¹) Aul. Gell. Noct. Att. XIV, 3: *Id etiam esse non sincerae neque amicae voluntatis indicium crediderunt, quod Xenophon incluto illi operi Platonis, quod de optimo statu reipublicae civitatisque administrandae scriptum est, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in vulgus exierant, opposuit contra scripsitque diversum regiae administrationis genus, quod Παιδείας Κύρου inscriptum est.*

tem membrorum compositione et lineamentorum conformatione conspicuum factum?

Itaque hoc jam unum nobis quidem suffecerit, ut nigro notaremus carbone notitiam Gellii, quae vel inde maxime fit suspiciosa, quod pertinet ad dubiam istam causam de simultate atque aemulatione Xenophontis et Platonis (¹). Sed quia usu aliquando venit, ut, tametsi causa ipsa sit falsa, tamen vera et proba possint esse indicia, unde ad eam defendendam conjectatoria deducuntur argumenta; idcirco non omnibus fortasse calculis condemnandum est, quod narrat Gellius, Politiam *duobus fere libris primum in vulgus exiisse.* Et profecto quidem, universi de Republica sermones distribuuntur, quod solus Rettigius sollertissime perspexerat, in tres sectiones, ambitu pares, quarum una quaeque suis affabre numeris procedit absolviturque. Prima sectio, quam Platonis ipsius auctoritate ἀνδρεῖον δρᾶμα nominare licet (²), constat ex tribus libris, ipsius

(¹) Celebratissimam commentationem Boeckhii *De simultate, quae Platoni cum Xenophonte intercessisse dicitur,* Berol. 1811, 4, ubi Gellianae narrationis fides suspecta est reddita, consulere non licuit. Cf. Stallbaum. *Proleg. Polit.* p. LXVII, sq Ast. l. l. p. 350. not. *).

(²) Sub initium V libri *Reip.* (p. 451, C.) haec leguntur: τάχα δὲ οὕτως ἂν ὀρθῶς ἔχοι, μετὰ ἀνδρεῖον δρᾶμα παντελῶς διαπερανθὲν τὸ γυναικεῖον αὖ περαίνειν. Quem locum respiciens Rettig. l. l. p. 151, «*Hanc sermonis,* inquit, *in duas partes distributionem interpretes praetervideruni, cum his* τοῦ ἀνδρείου *et* γυναικείου δράματος *vocabulis non partes operis indicari, sed dictorum*

haud dubie auctoris manu ad argumenti naturam atque ad artis regulam aequabiliter conformatis ([1]): nempe *secundo, tertio* et *quarto*. Hanc quae excipit altera sectio, δρᾶμα γυναικεῖον, ea itidem tres complectitur libros, *quintum, sextum* ac *septimum*. Secundo hocce dramate Opus in quadrum numerumque est jam quodamtenus redactum. Nam licet tractatio eo instituta nondum tota clauditur, tamen, quod ad primarium attinet quaestionis argumentum, in optima videlicet republica con-

dicendorumque indolem significari crederent. Et sunt sane ποιητικῶς *dicta, nec* τοῦ γυναικείου δράματος *vocabulo quae dicuntur omnia comprehenduntur, etiamsi cum ea quaestione, quam hoc vocabulo proprie insignire licet, quam arctissime cohaerent».* Cf. p. 153: «*Praecipuam tamen causam ejus rationis, qua Plato disputationem de Republica in duas partes distribuit, nondum attigimus. Est vero haec: Perfectae civitatis ex justitia, quae apud homines est, repetitam descriptionem, ad prima civitatis fundamenta jacienda sufficere videbat Plato; ad totum vero opus exstruendum aliud adhuc adesse debere intelligebat— ideam boni. Noluit tamen haec utraque civitatis perfectae principia, quorum unum altero includitur, miscere; noluit miscere quae ex utrisque instituta profluerent».* etc.

([1]) Quod egregie demonstravit Rettig in opere s. l.; cf. imprimis pp. 27, 235, 258. Aliter senserat Schleiermacher. *Introd. ad Remp.* p. 4, sq. et Hermann. *Hist. Pl. Ph.* p. 693. not. 668. «*Die grösste Wahrscheinlichkeit spricht hier für Aristophanes von Byzanz*», inquit Hermannus; quin fortasse trifaria haecce Politiae distinctio, dum Grammatico ignota non esset, eo magis eum compulerat ut omnes etiam Platonicos dialogos per trilogias compositos fuisse sibi persuaderet: v. Introd. nostrae p. 36, sqq. Dixerim etiam Philippum Opuntium in Legum libris dispescendis hoc Platonis ipsius in edenda Politia exemplum sequi voluisse.

stituenda occupatum, id jam septimo hoc libro profligatur ac paene ad exitum adducitur ([1]). Ita, quae novo excurrit orbe, trilogia ultima, liber videlicet *octavus* et *nonus* cum *decimo*, epilogi instar addito, ut *primus* prooemii vicibus fungitur: in ea deliberantur quaestiones ad princeps argumentum illustrandum maxime quidem necessariae ([2]); attamen cum propositae hypotheseos finis et consilium, nec non compositionis constructionisque praestantia, jam ex praecedentibus libris satis in conspectum veniat: non multum, medius fidius, universum opus virtutibus suis defraudaretur, si, hoc ultimo ternione aut nondum composito aut intermisso suspensoque, sola priora dramata bina in lucem essent edita. Eo magis, quod cum priores duae trilogiae ita inter se arcte conjungantur, ut alterius initium ex alterius fine nectatur atque exordiatur, hic contra tertius ternio proprio est praetextus stamine, ita ut rite a praecedentibus discernatur. Ecquid igitur errabimus, si conjiciamus, Gelliana verba eo nomine esse accipienda, ut, quod ibi de duobus libris dicitur, eos ante reli-

([1]) Liber *septimus* explicit sic: Οὐκοῦν ἄδην ἤδη, εἶπον ἐγώ, ἔχουσιν ἡμῖν οἱ λόγοι περί τε τῆς πόλεως ταύτης [i. e. de *optima* civitate] καὶ τοῦ ὁμοίου ταύτῃ ἀνδρός; δῆλος γάρ που καὶ οὗτος, οἷον φήσομεν δεῖν αὐτὸν εἶναι. Δῆλος, ἔφη. καὶ ὅπερ ἐρωτᾷς δοκεῖ μοι τέλος ἔχειν. Mox *octavi* libri initio revocantur in memoriam superiorum librorum capita, perinde ac si nova disputatio inceperit.

([2]) Jam in libro secundo p. 372. E. sq, tum in quarto p. 420, C. e longinquo quasi prospicitur argumentum extremorum librorum, quod praecipue versatur in *luxuriante civitate* describenda.

quos in vulgus prodiisse, id referamus ad ista dramata duo, septem fere libris conclusa, in quae totam de optima republica disputationem distinguere Nostro placuerat? Nil enim mirum, quod haec distinctio ita paullatim obliterata est, ut Gellium plane lateret. Cui conjecturae id aliquatenus favere videtur, quod ii, qui, ut Gellii verba mea faciam, *de Xenophontis Platonisque vita et moribus pleraque omnia exquisitissime scripsere*, vix ita parum fuerint providi et verecundi, ut permitterent sibi affirmare, regium illud administrationis genus a Xenophonte esse scriptum contra Politiam, si Xenophon ex hoc Platonico opere nihildum legisset, nisi duos fere, ut Gellius habet, *libros*, unde vix adhuc prima constitutionis stamina ac lineamenta prospicere liceret [1].

---

[1] Video nunc, etiam Boeckhium hac de re similiter judicasse, qui tamen Gellium totum repudiat: *In Minoem* p. 181—183: «*Unum hoc nunc dicam, aperte falsum esse quod se accepisse narrat Gellius Xenophontem lectis duobus, qui primi prodiisent, Platonicae Politiae libris, opposuisse iis Cyropaediam: neque enim in duobus primis Reipublicae libris de administratione civitatis dictum est quidquam, cui sua opponere potuisset Xenophon; nec possunt ii seorsim esse editi*». Ceteroquin conjectura nostra etiam eo probaretur, quod in *Cyropaedia* VI, 1. 41 (δύο γὰρ σαφῶς ἔχω ψυχάς...), si verum suspicatus est Camerarius, respicitur Platonis opinio de duabus facultatibus animae, exposita *Reip.* libro *quarto* IV, p. 436, A. 439, C. Schneiderus autem hoc ita expediri posse autumat, ut aut Xenophon credatur opinionem hanc cognitam habuisse ex Platonis sermonibus cum discipulis habitis, aut verba haec Xenophontis referantur ad *Phaedr.* p. 237, D. E: ἡμῶν ἐν ἑκάστῳ δύο τινὲ ἐστὸν ἰδέα

Sit ita; concedatur nobis postremam Politiae partem diverso editam esse tempore a reliquo opere; at nonne propterea duplicabuntur difficultates quaestionis nostrae de Operis aetate? Minime quidem propterea, quantum intelligimus. Nam si modo invenire contigerit quando edita sit primaria illa et major Politiae portio, cui praecipue Platonicae Civitatis nomen obtingere valet, non ita quidem tunc referret, si reliquae particulae ratio plus minusve stricte subducta esset.

Num vero ad editae Politiae rationem ineundam idem jam ipse Gellii locus sufficit, ut visum est olim. Io. Gottl. Schneidero, qui eo usus est contra Morgensternium? [1] haud difficilis

---

ἄρχοντε καὶ ἄγοντε. etc. Quem vero locum, praeeunte Camerario, indicavit Ast. l. l. p. 350, n., nempe *Leg.* X, p. 596, D E, ubi de duabus animis sermo, is a Xenophonte respici non potuerat, siquidem Leges jam post obitum Platonis evulgatae sunt.

[1] V. quae Schneiderus disputavit in Praefatione ad Cyropaediam atque in annotatione ad initium ejusdem Operis (Ed. I. Lips. 1800; Ed. II ibid. 1815). Item carbones pro thesauro fuerunt, quod Schneiderus ad praesentem causam effodit ex tempore Orationis Isocrateae *ad Philipp.* Nimirum apud Isocratem p. 84, E. St. legitur: ἀλλ' ὁμοίως οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων ἄκυροι τυγχάνουσι ὄντες τοῖς νόμοις καὶ ταῖς πολιτείαις ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμένοις. Cf. Aristid. *Or. II. Plat.* p. 311. Iebb.=T. III, 517 extr Canter. Extremis Isocratis verbis videtur Plato obiter carpi; unde consequitur, libros Platonis de Republica et de Legibus ante Olymp. CVIII annum alterum in publicum editos fuisse, nam hoc tempore scripta fuit illa oratio. Sed jam ante hunc

est responsio. Age, concedamus Cyropaediam, ut collegit Schneiderus rationibus chronologicis ex *Epilogi* (suspecti) sect. 4, scriptam et publicatam fuisse post Olympiadis CIV annum 3; oportet ergo duos illos Politiae libros, vel potius trilogias duas priores, contra quas Cyropaedia est commissa, editos esse in publicum ante hunc annum. Attamen non multum sane inde lucramur; quandoquidem inter hunc annum atque primum Platonis Siciliense iter interjecti sunt duo fere de triginta anni; ecquinam igitur eorum pro natali Politiae sumendus? ex Gellio non respondebis. Nisi forte Gelliana notitia ita accipiatur, ut Xenophon putandus sit perlecta Politia statim sese ad scribendam contra edendamque suam Cyropaediam proripuisse; sed hoc is modo contendere voluerit, qui etiam num credit Socraticae amoenitatis duo ista lumina vehementiore quodam studio inter se certasse. Id

terminum Plato vitam cum morte commutavit! cf. Clint. a. 347. 346.—Si verum est, ut hoc obiter addam, Platonem ipsum h. l. ab Isocrate lacessi—de quo tamen licet dubitare: v. Winckelman. *Proleg. ad Plat. Euthydemum* p. XXXIV.—fortasse eundem Orationis locum respexerit personatus Speusippus in *Epistola ad Philipp.* (Socrr. Epistt. XXX. p. 35.) cum dicit de Isocrate: οὔτε Πλάτωνος ἐν τοῖς πρός σε πεμφθεῖσι λόγοις ἀπέχεται, ita ut non indigeremus suspicione Vateri, Viri clarissimi. Epistolae scriptorem alias etiam aliquas Isocratis ad Philippum (falsas) epistolas cognitas habuisse: Vater *De Isocratis epistolis*. Kasani 1846, p. 4; 12. Ceterum ob hunc ipsum locum totam orationem Isocratis exagitandam sibi sumpsisse Speusippum in Epistola XXVIII inter Socraticas, censebat Valckenarius in Oratione *de Philippi Macedonis indole* p. 262, not. 52, teste Schneidero l. l.

itaque, quod ex editae Cyropaediae tempore ad Politiae aetatem constituendam consequimur, Morgensternianae rationi non adversatur, neque tamen ad eam probandam par esse potest. Quapropter necesse est alia conquirere auxilia, si velimus reputare calculos a Morgensternio subductos. Postquam igitur praecedenti capite demonstrare conati sumus, rationis hujus fidem neutiquam apud nos esse debilitatam iis, quae contra eam a Vv. Dd. sunt prolata; nunc, quo aciem ejus magis experiamur, advocata Adrastea, alios tandem jaciamus talos. Nempe, cum id maxime asseveretur, Politiam nondum potuisse scribi ante primam Platonis in Siciliam peregrinationem, ante quam Eccleziazusae docta est: nos in asseveratione hac recensenda ita versabimur, ut, pro virili, indagemus, estne, ubi post hanc peregrinationem Opus jam conscriptum editumque deprehendatur.

V.

Politiam fuisse evulgatam, atque etiam per totam manasse Graeciam, Platone adhuc vivo vidente ac docente, colligi potest jam ex eo, quod Axiothea quaedam narratur, perlecto nescio quo scripto Platonis de republica, Athenas, sive ex Mantinea sive ex Phliunte, commigrasse, atque diutius clanculum Ipsum audivisse: Themistius *Or.* XXIII, p. 295, C: Ἀξιοθέα μὲν γὰρ ἐπι-

λεξαμένη τι τῶν συγγραμμάτων ἃ Πλάτωνι πεποίηται ὑπὲρ πολιτείας, ᾤχετο ἀπιοῦσα Ἀθήναζε ἐξ Ἀρκαδίας καὶ Πλάτωνος ἠκροᾶτο, λανθάνουσα ἄχρι πόῤῥω ὅτι γυνὴ εἴη. Quod **Dicaearchus** quoque attestatur ap. **Diog. Laert.** III, 46: *μαθηταὶ δ᾽ αὐτοῦ* (Platonis).... *σὺν οἷς καὶ γυναῖκες δύο, Λασθένεια Μαντινική, καὶ Ἀξιοθέα Φλιασία, ἣ καὶ ἀνδρεῖα ἠμπίσχετο, ὥς φησι Δικαίαρχος.* Cf. Id. IV, 2. c. **Menagio.** Verum vero Platonis illud *ὑπὲρ πολιτείας* scriptum, quod mulierem ad audiendum ipsum allexerat, quodnam aliud esse potest, nisi quo etiam Romanae matronae delectabantur, ut legitur apud **Arrianum** in *Dissertt. Epictet.* T. II, p. 360 Ed. Upton. (**Stob.** *Serm.* VI, p. 82 med. Gesner. Ed. III.): *Ἐν Ῥώμῃ καὶ γυναῖκες μετὰ χεῖρας ἔχουσι τὴν Πλάτωνος Πολιτείαν, ὅτι κοινὰς ἀξιοῖ εἶναι τὰς γυναῖκας. τοῖς γὰρ ῥήμασι προσέχουσι τὸν νοῦν οὐ τῇ διανοίᾳ τἀνδρός. κ.τ.λ.*

Deinde libros de Republica jam antequam **Critias** coeptus est scribi, a quo absolvendo fata Platonem arripuerunt, immo etiam ante scriptum **Timaeum** in publicum prodiisse, conjicias ex verbis **Crantoris.** Sic enim **Proclus** *ad Tim.* p. 24: *Τὸν περὶ τῶν Ἀτλαντίνων σύμπαντα τοῦτον λόγον οἱ μὲν ἱστορίαν ψιλὴν εἶναί φασιν, ὥσπερ ὁ πρῶτος τοῦ Πλάτωνος ἐξηγητὴς Κράντωρ. ὃς δὴ καὶ σκώπτεσθαι μέν φησιν αὐτὸν ὑπὸ τῶν τότε ὡς οὐκ αὐτὸν ὄντα τῆς πολιτείας εὑρετήν, ἀλλὰ μεταγράψαντα τὰ Αἰγυπτίων. τὸν δὲ τοσοῦτον ποιήσασθαι τῶν σκωπτόντων λόγον, ὥστε ἐπὶ Αἰγυπτίους ἀναπέμψαι τὴν περὶ Ἀθηναίων καὶ Ἀτλαντίνων ταύτην ἱστορίαν, ὡς τῶν Ἀθηναίων κατὰ ταύτην ζησάντων ποτὲ τὴν πολιτείαν. μαρτυροῦσι δὲ καὶ οἱ προφῆται, φησί, τῶν Αἰγυπτίων ἐν στήλαις ταῖς ἔτι σωζομέναις ταῦτα γεγράφθαι λέγοντες. κ.τ.λ.* Ex eo igitur, quod homines Politiam ex Aegypto repetitam esse suspicabantur (cf. **Diodor. Sic.** I. 98. **Hermann.** l. l. p. 54, sq.), facile aliquis concludat, opus hoc non nisi post **Platonis Aegyptiaca itinera** in lucem fuisse editum. Quod autem Crantor ex Timaeo et **Critia** — in his enim libris, ut notum est, Plato Atlanticam fabulam ad Aegyptios retulit — documentum cepit, quanti Philosophus faceret ea, quae scioli de ipsius Politia garrirent, manifestum est, Crantorem, Platonis primum interpretem, hominem sane haud infimae classis, pro rato contestatoque sibi habuisse, Politiam **ante hos libros scriptos** in hominum notitiam venisse.

Jam vero si memoriae vestigia porro scrutabimur, inveniemus Politiam scriptam esse jam **ante priorem Platonis cum Dionysio minore conventum,** qui conventus cadit in Olymp. CIII, 2=367 a. Chr. Venit enim tunc Plato Syracusas non aliam ob causam, quam quod excitatus erat a Dione magna spe, fore ut politica sua placita per Dionysium, recens dominum factum, ad vitam quasi effectumque adducerentur. Exhortabatur Nostrum Dio, ut ponitur in *Epistola septima* p. 327 extr. sq. (*). *καταλέγων τὴν ἀρχὴν τῆς Ἰταλίας καὶ Σικελίας καὶ*

(*) Epistolam *septimam*, si ullam earum, quae Platonis nomen mentiuntur, genuinam censet **Morgenstern.** *Comment.*

τὴν αὐτοῦ δύναμιν ἐν αὐτῇ, καὶ τὴν νεότητα καὶ τὴν ἐπιθυμίαν τὴν Διονυσίου φιλοσοφίας τε καὶ παιδείας ὡς ἔχοι σφόδρα, λέγων τούς τε αὐτοῦ αδελφοὺς καὶ τοὺς οἰκείους ὡς εὐπαράκλητοι εἶεν πρὸς τὸν ὑπ᾽ ἐμοῦ λεγόμενον ἀεὶ λόγον καὶ βίον, ἱκανώτατοί τε Διονύσιον συμπαρακαλεῖν, ὥστε εἴπερ ποτέ. καὶ νῦν ἐλπὶς πᾶσα ἀποτελεσθήσεται τὸ τοὺς αὐτοὺς φιλοσόφους τε καὶ πόλεων ἄρχοντας μεγάλων ξυμβῆναι γενομένους. Cf. Olympiodor. *V. Plat.* p. 586, s. f. Menag. Ὅθεν μοι σκοπουμένῳ καὶ διστάζοντι, sic pergit personatus Plato, πότερον εἴη πορευτέον καὶ ὑπακουστέον ἢ πῶς, ὅμως ἔῤῥεψε δεῖν, εἴ ποτέ τις τὰ διανοηθέντα περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας ἀποτελεῖν ἐγχειρήσοι, καὶ νῦν πειρατέον εἶναι· πείσας γὰρ ἕνα μόνον ἱκανῶς πάντα ἐξειργασμένος ἐσοίμην ἀγαθά. Extremis Dionis verbis epistolae scriptorem optimam illam Platonicae Civitatis constitutionem significari voluisse, quis dubitet? Hanc enim Philosophus non alio pacto fieri umquam posse pronuntiavit, nisi ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν ἢ οἱ βασιλῆς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ, δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία, τῶν δὲ νῦν πορευομένων χωρὶς ἐφ᾽ ἑκάτερον αἱ πολλαὶ φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλεισθῶσιν, οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα. v. *Reip.* V, p. 473, C, sq. cll. VI, 499, B; VII. 540, D. Neque aliud quid, quam Politia denotatur ab epistolico Platone verbis «διανοηθέντα περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας», et quidem sola Politia, cum verisimile sit Leges hoc tempore nondum scriptas fuisse. Sic in ipsa Politia perfectissimae Civitatis moderamen *legum* nomine saepiuscule designatur: IV, p. 427, A: τὸ τοιοῦτον εἶδος νόμων πέρι καὶ πολιτείας; cll. *ibid.* p. 425, E; V. p. 453, D; 456, C; 457. C; 465, B; VI, p. 497, D; 502, B; 504, C; VII, p. 534, D. E; 541, A. etc.; *Legg.* V, p. 739, med. Atque etiam utraquae vox plerumque conjungitur: cf. Schoemann ad *Plut. Cleomen.* XIV, 1. Quod vero ad istud «διανοηθέντα» attinet, illud velim equidem non solummodo de meditato optimae reipublicae statu accipere, sed etiam de scriptis editisque Politiae voluminibus. Nam etiamsi quidem Dionem dixeris potuisse jam pridem vel ex ipso Platonis ore ediscere sententiam illam de reformandis civitatibus, vel ex epistolarum commercio eam accipere; sed neutiquam equidem potuerim a me impetrare, ut credam Philosophum diutius sola mente et cogitatione tenuisse inclusa ea, ex quibus salutem generis humani pendere semel sibi persuasisset. Non possum credere eum antea, quam ad vivum quasi calorem tentaret devocare simulacrum illud summae felicitatis, id litteris saltem prius exprimen-

---

Pl. Repb. p. 79, nec non Boeckh, *De Simultate*, etc. p. 32, not. 9, teste Rittero *Hist. Ph.* T. II, p. 180, not. 1, et Stallbaumio *Prol. Pl. Rpb.* p. LXIV, not. (*). Hermannus *Pl. Ph.* p. 424. putat eam non multo post obitum Philosophi scriptam esse, idque a homine rerum Platonicarum optime gnaro. Grimmii (Berol. 1815.), Salomonis (ibid 1835). aliorum de Epistolis Platonicis scriptiones non sunt prae manu.

dum distulisse. Praesertim, cum, quae mutuis sermonibus profunduntur, ea facile quidem, velut igne, audientium animos accendant suscitentque; cum tamen, quid proprie sibi velint, praesertim si varia sunt et multiplicia, non semper percipiatur, facilius etiam subinde detorqueantur atque in devia abeant. Quod ipse quoque non semel fortasse expertus est: Cf. *Epist.* VII, p. 341, A, sqq. Condemnavit quidem Noster vulgarem scribendi rationem, ita ut in *Phaedro* (p. 276, A.) scriptam orationem nil aliud esse dixerit, nisi mutum inaneque simulacrum animati sermonis; at quam Ipse tamen artem excoluerat, ea utique perficiebatur, ut simulacro isti, pygmalioneo quodam spiritu, vita et motus inderetur. Nam, ut loquar cum Heusdio (*Initia.* p. 188.): «*quum Socratem faceret loquentem, factum est, ut scribendo efficeret in lectorum, quod sermonibus ille in auditorum animis effecerat, scriberet plane, quod dixit, in animis hominum*».—Et profecto quidem, Platonem illis temporibus occupatum fuisse in componenda edendaque Politia apparet vel ex eo, quod sub eadem haec tempora cadit scriptio Cyropaediae, quam evulgata demum, ut vidimus, certa quadam Politiae portione esse conscriptam, haud ita spernenda traditum est fama.

Ne autem aliquis minus esse credibile existimet, Platonem tam temere sibi in animum induxisse Syracusanum lavare Aethiopa (*), reputetur, quod juvenilis iste tyrannus talis fuerat,

(*) Morosius de hoc Platonis cum Dionysio commercio loquitur G. Niebuhr, *Hist. u. philol. Schriften.* Bonn. 1828. p. 479: «Und wenn ein grosser Mann sich von diesem edeln

qui maxime, o Philosophi opinione, esset idoneus ad exsequenda vota de instauranda humani generis salute, ab Ipso nuncupata. Etenim Noster neque *Philosophos* dubitavit optimos civitatis rectores evadere posse, neque *reges* philosophiae alumnos existere; utrumque tamen maximis obnoxium esse difficultatibus ipsum non latuit. Quoniam et philosophos, si qui germani atque tanto negotio pares alicubi terrarum inveniantur, a capessenda republica aut vulgi invidia arcet (*Reip.* VI, p. 499; E. sqq.), aut privus prohibet pudor (*Eod.* p. 489, B, sq. 496. C, sqq.), aut denique contemplandi detinet negotium; necessitatem vero, quae eos ad civitatium gubernandarum curam suspiciendam vel invitos adigeret (*Eod.* p. 499, B, sqq. 500, D.), unde nam, medius fidius, nisi e miraculo aliquo immissum iri expectare poterat? Et principum indolem ad corruptelam magis esse proclivem sentiebat, quam ad philosopiae illecebras. Attamen quis est, per fidem, qui asseverare ausit, ne ullum quidem umquam ubiubi gentium talem repertum iri dominum, qui ad Musae illius cantum secundiorem voluerit praebere aurem? Non desperavit certe Noster.

und lenksamen Volk, welches freylich auch nicht alltäglich in Feyerkleidern erschien noch frey von Sünde und Schwächen war, abwendete, so traf ihn die gerechteste Strafe durch die Verirrung den Versuch zu machen einen Mohren zu waschen: einen heillosen bösen Buben wie Dionysius zu bekehren, und durch ihn, im Pfuhl der syrakusanischen Lasterhaftigkeit und Ueppigkeit, die Philosophie auf den Thron zu setzen und die kaum geringere Thorheit in einem von der Tyranney so tief angesteckten Verwegnen wie Dion einen Helden und ein Ideal zu sehen». Cf. Aristid. *Or. Plat. II.* p. 66. sq.

Ἔτι οὖν ἀγριανοῦσι λεγόντων ἡμῶν, sic disputat Socrates *Reip.* VI, p. 502, E, sq. ὅτι, πρὶν ἂν πόλεως τὸ φιλόσοφον γένος ἐγκρατὲς γένηται, οὔτε πόλει οὔτε πολίταις κακῶν παῦλα ἔσται. οὐδὲ ἡ πολιτεία, ἣν μυθολογοῦμεν λόγῳ, ἔργῳ τέλος λήψεται; Ἴσως, ἔφη, ἧττον. Βούλει οὖν, ἦν δ᾽ ἐγώ, μὴ ἧττον φῶμεν αὐτούς, ἀλλὰ παντάπασι πράους γεγονέναι καὶ πεπεῖσθαι, ἵνα, εἰ μή τι ἄλλο, αἰσχυνθέντες ὁμολογήσωσι; Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη. Οὗτοι μὲν τοίνυν, ἦν δ᾽ ἐγώ, τοῦτο πεπεισμένοι ἔστων· τοῦδε δὲ πέρι τις ἀμφισβητήσει, ὡς οὐκ ἂν τύχοιεν γενόμενοι βασιλέων ἔκγονοι ἢ δυναστῶν τὰς φύσεις φιλόσοφοι; Οὐδ᾽ ἂν εἷς, ἔφη. Τοιούτους δὲ γενομένους ὡς πολλὴ ἀνάγκη διαφθαρῆναι, ἔχει τις λέγειν; ὡς μὲν γὰρ χαλεπὸν σωθῆναι καὶ ἡμεῖς ξυγχωροῦμεν· ὡς δὲ ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ τῶν πάντων οὐδέποτ᾽ οὐδ᾽ ἂν εἷς σωθείη, ἔσθ᾽ ὅστις ἀμφισβητήσει; Καὶ πῶς; Ἀλλὰ μήν, ἦν δ᾽ ἐγώ, εἷς ἱκανὸς γενόμενος, πόλιν ἔχων πειθομένην, πάντ᾽ ἐπιτελέσαι τὰ νῦν ἀπιστούμενα. Ἄρχοντος γάρ που τιθέντος τοὺς νόμους καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα, ἃ διεληλύθαμεν, οὐ δήπου ἀδύνατον ἐθέλειν ποιεῖν τοὺς πολίτας. Οὐδ᾽ ὁπωστιοῦν. Ἀλλὰ δὴ ἅπερ ἡμῖν δοκεῖ, δόξαι καὶ ἄλλοις θαυμαστόν τι καὶ ἀδύνατον; Οὐκ οἶμαι ἔγωγε, ἦ δ᾽ ὅς. Imo, nullo alio pacto, nisi tyranni potentia optimam rempublicam institui posse, confessus est in *Legibus*, IV, 710, s. f: Ἐκ τυραννίδος ἀρίστην φῂς

γενέσθαι πόλιν ἄν, ὡς φαίνει, μετὰ νομοθέτου γε ἄκρου καὶ τυράννου κοσμίου, καὶ ῥᾶστά τε καὶ τάχιστ᾽ ἂν μεταβαλεῖν εἰς τοῦτο ἐκ τοῦ τοιούτου, δεύτερον δὲ ἐξ ὀλιγαρχίας. ἢ πῶς λέγεις; καὶ τὸ τρίτον ἐκ δημοκρατίας;—Οὐδαμῶς, ἀλλ᾽ ἐκ τυραννίδος μὲν πρῶτον, δεύτερον δὲ ἐκ βασιλικῆς πολιτείας, τρίτον δὲ ἔκ τινος δημοκρατίας. et quae sequuntur. Cf. **Aristid.** *Or. Plat.* II. p. 154: λέγεις μὲν (compellatur Plato) καὶ τυραννίδα συντελεῖν εἰς νόμων θέσιν, λέγεις δὲ τῇ φιλοσοφίᾳ δυναστείας προσδεῖν, καὶ μὴ πρότερον παύσεσθαι κακῶν τὰς πόλεις, πρὶν ἂν σοι τὸ πολυύμνητον δὴ τοῦτο, ἢ βασιλεῖς φιλοσοφήσωσιν, ἢ βασιλεύσωσι οἱ φιλόσοφοι; κ.τ.λ.; ubi **Scholiasta**: Τυραννίδα τὴν βασιλείαν ἐνταῦθα καταχρηστικῶς λέγει, διότι γὰρ ὁ νόμος σκληρὸς δεῖται τυραννίδος εἰς τὸ ἀναγκάσαι πεισθῆναι αὐτῷ. cll. *Ep. Pl.* XI. s. f. Qualem vero tyrannum sibi optaverit, declaravit Noster liquide *Legg.* l. l. p. 709, extr: φέρε δή, νομοθέτα, τί σοι καὶ πῶς πόλιν ἔχουσαν δῶμεν, ὃ λαβὼν ἕξεις ὥστ᾽ ἐκ τῶν λοιπῶν αὐτὸς τὴν πόλιν ἱκανῶς διοικῆσαι;.... τυραννουμένην μοι δότε τὴν πόλιν. τύραννος δ᾽ ἔστω νέος καὶ μνήμων καὶ εὐμαθὴς καὶ ἀνδρεῖος καὶ μεγαλοπρεπὴς φύσει. Add. *Eod.* p. 710, sq. cll. **Themist.** *Or.* VIII, p. 104, D. sq.

Quae cum ita sibi persuasisset, potuitne non properare ad Dionysium, recens potentiam nactum, de quo Dio tanta praedi-

cabat? At nisi de Dionysio, de Dione saltem plurima sibi bona sperare licebat: v. *Ep.* VII, p. 328, B; cf. Hermann. *Ph. Pl.* p. 66 sq. Rettig. l. l. p. 187. 193 sq. Cum vero in tali esset sententia, ut introduci tantummodo Civitatem suam et fundari difficile putaret, semel vero introducta quin persistere posset nullus dubitaret (*Reip.* VI, p. 502, C; *Leg.* IV, p. 711.): nil sane mirum, si semel spe sua frustratum, iterum etiam senem perniciosam remetiri Charybdin non taeduerat. Facile enim credidit, ut legitur in *Epist.* VII, p. 339, E, ὡς οὐδὲν θαυμαστὸν νέον ἄνθρωπον [Dionysium intellige] παρακούσαντα ἀξίων λόγου πραγμάτων, εὐμαθῆ, πρὸς ἔρωτα ἐλθεῖν τοῦ βελτίστου βίου. cf. p. 335, D. Crasse igitur potius, quam falso hunc ad juniorem Dionysium Philosophi adventum expressit Laertius III, 21: πρὸς νεώτερον ἧκε Διονύσιον αἰτῶν γῆν καὶ ἀνθρώπους τοὺς κατὰ τὴν πολιτείαν αὐτοῦ ζησομένους. Quid, quod ipse etiam videtur alludere ad ista irrita conamina in *Timaeo*, p. 19, B: Ἀκούοιτ᾽ ἂν ἤδη τὰ μετὰ ταῦτα περὶ τῆς πολιτείας, ἣν διήλθομεν, οἷόν τι πρὸς αὐτὴν πεπονθὼς τυγχάνω. προσέοικε δὲ δή τινι μοι τοιῷδε τὸ πάθος, οἷον εἴ τις ζῶα καλά που θεασάμενος, εἴτε ὑπὸ γραφῆς εἰργασμένα εἴτε καὶ ζῶντα ἀληθινῶς, ἡσυχίαν δὲ ἄγοντα, εἰς ἐπιθυμίαν ἀφίκοιτο θεάσασθαι κινούμενά τε αὐτὰ καί τι τῶν τοῖς σώμασι δοκούντων προσήκειν κατὰ τὴν ἀγωνίαν ἀθλοῦντα. ταὐτὸν καὶ ἐγὼ πέπονθα πρὸς τὴν πόλιν, ἣν διήλθομεν. Quem locum allegans Athenaeus XI, p. 507, D, adnotat: καὶ τὸ πόλιν δὲ θε-

λῆσαι κτίσαι καὶ τὸ νομοθετῆσαι τίς οὐ φήσει πάθος εἶναι φιλοδοξίας; δῆλον δέ ἐστι τοῦτο ἐξ ὧν ἐν Τιμαίῳ λέγει. Neque aliter Proclus (p. 19) de eodem Timaei loco: ἔχεις ἐν τούτοις σύντομον ἀπολογίαν, ἣν καὶ ὁ Σωκράτης Ἀλκιβιάδῃ συγγέγονε καὶ Πλάτων ἀπῆρε πρὸς Διονύσιον· προσεδόκησαν γὰρ ἄμφω δημιουργοὶ πολιτείας ἔσεσθαι χρηστῆς καὶ κινουμένην ὄψεσθαι τὴν πολιτικήν.

Cum ita libros de Republica contendimus jam ante commercia Platonis cum Dionysio altero compositos esse atque editos, succurrit aliud argumentum, quo eos etiam ultra Olympiadis CII annum alterum protrudere cogimur. Nempe narrat Aelianus *Var. Hist.* II, 42, nec non Diogenes Laert. III, 23, interposita fide Pamphilae, mulieris, ut videtur, haud indoctae, Platonem arcessitum fuisse ab Arcadibus et Thebanis ad moderandam legibus Megalopolin, quae urbs, ut notum, condita est non multo post pugnam Leuctricam, pugnatam Ol. CII, 2=371 a. Chr. V. Clint. ad h. annum. Factum vero hoc est propter Platonis δόξαν et τὸν κατ᾽ αὐτὸν ἀρετῆς λόγον, quem ad Arcades usque pervenisse dicit Aelianus. Sed quanam, quaeso, alia magis idonea ratione, nisi scripta evulgataque Politia, hanc tantam sibi Philosophus civilis prudentiae potuerit acquirere existimationem, ut tam impense a legatis rogaretur, non quidem, ut observat Aelianus, ἐπὶ μόνῃ τῇ τῶν νέων προστασίᾳ, neque ἵνα αὐτοῖς συγγένηται ἐπὶ τοῖς λόγοις τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν, sed τὸ ἔτι τούτων μεῖζον, νο-

μοθέτην αὐτὸν ἐκάλουν? Quod ut aliquando sibi contigerit, non semel tanquam votum in Politia ipse profert. Aut fallor, aut sola scholasticae scientiae laus vitaeque integrae fama nequaquam sufficerent ad veram vivamque civitatem Platoni committendam, nisi is fictae saltem, etsi a communi vita remotioris illius, auctor conditorque prius agnitus fuisset. Quod vero oblatam dignitatem recusavit, cum a legatis comperisset futuros cives *ἰσονομίαν* non esse accepturos, id congruum quidem est ipsius rationi, qui bene intelligebat nil sibi agendum esse in ista colluvie gentium, nisi eos voluntas unius ad nova instituta accipienda observandaque vel invitos cogeret (*).

Refert praeterea Plutarchus (*V. Lucull.* c. 2. cll. Eod. *Ad princ. iner.* init. p. 779; Aelian. *V. H.* XII, 30.) etiam

(*) Quam parum Philosophus faverit democratiae, v. Morgenstern. *Commen. Reipbl. Plat.* p. 204. Ceteroquin Meinersio, qui narrationem hanc totam pro ficta habuit (*Gesch. d. Wissensch. in Griech. u. Rom.* T. II, p. 788, not. (**), cll. Ast. *Pl. Schr.* p. 392, jam dudum respondit Morgenstern. l l. p. 289, not. 269. Nullam suspicionis suae rationem reddit Ritter. *Hist. Phil.* T. II. p. 128, not. 4. Ceterum plura ostendi possunt exempla philosophorum, quibus delatae fuerint partes ordinandae reipublicae. Sic, ut antiquos taceam atque Pythagoreos, Speusippo teste ap. Laert. IX. 23, *Parmenides* dicitur suis civibus leges tulisse; *Protagoras* vero Thuriis, si fides Heraclidae Pontico, ap. eund. IX, 50. Item *Aristoteles* atque *Eudoxus* patriam suam legibus condiderunt: Diog. V, 4. Imo ex Platonis schola haud unus legislator prodiit, inter quos *Aristonymus* videtur pro Platone apud Arcades moderatoris vices suscepisse: Plutarch. *adv. Colotem* p. 1126. cll. Hermann l. l. p. 74. De *Laodamante* v. Ep. Plat. XI.

Cyrenaeos rogasse Platonem, ut leges ipsis scriberet: *εἰς τύπον τινὰ καταστήσῃ πολιτείας σώφρονος*. Ceterum rem hanc non satis fuisse compertam Plutarcho, suspicetur aliquis ex verbis ejus: *δεομένων γάρ, ὡς ἔοικεν, ὅπως αὐτοῖς νόμους γράψῃ*. Si tamen de talibus aliquid augurari liceat, factum hoc esse potuit proxenia et commendatione Anniceridis Cyrenaici, qui Nostrum, a Dionysio majore venumdari jussum—ad minorem Dionysium falso retulit hoc Olympiodorus in *Platonis Vita*—e servitute redemisse dicitur.

Cum vero jam in hac de Cyrenaeis narratione non possim non suspicari vestigia publicatae Politiae, eo justius contendi posse videtur opus hoc jam tum scriptum fuisse, cum Plato primum in Siciliam venerat, quo tempore cum Dionysio majore congressus est. Verum enim vero quae vota de recuperanda generis humani felicitate Dio non prius, quam Dionysio minore regnum adepto aperte pronunciare est ausus, ea jam tum ex Platonis ore susceperat atque intimo incluserat pectore, cum primum cum eo junxisset consuetudinem, numinis videlicet, ut nescio ubi legitur, cujusdam nutu Syracusas adducto. *Ἐγώ*, inquit Plato *Epist.* VII. p. 327. A, *συγγενόμενος Δίωνι τότε νέῳ, κινδυνεύω, τὰ δοκοῦντα ἐμοὶ βέλτιστα ἀνθρώποις εἶναι μηνύων διὰ λόγων καὶ πράττειν αὐτὰ ξυμβουλεύων, ἀγνοεῖν ὅτι τυραννίδος τινὰ τρόπον κατάλυσιν ἐσομένην μηχανώμενος ἐλάνθανον ἐμαυτόν*. Si quaeris, quaenam fuerint *optima* illa, quae Dioni juveni Plato commendaret, respondet eadem Epistola p. 325, sq., quem locum a Morgensternio etiam ad

eundem finem prolatum supra adduximus. Dicit ibi nempe Plato, se improsperis reipublicae capessendae conaminibus, tum Socratis maxime nece, ita fuisse exasperatum, ut insanabiles pronunciaret omnes, quae tunc essent, civitates, neque aliunde hominibus salutem affuturam esse declararet, nisi ex recto philosophiae usu, ita ut *aut principes philosophentur, aut philosophi regnent;* quod votum ex Politia ad verbum fere expressum, vidimus praetendisse Dionem, cum Philosophum Syracusas invitaret. *Ταύτην δὲ τὴν διάνοιαν ἔχων εἰς Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν ἦλθον, ὅτε πρῶτον ἀφικόμην*, inquit Epistola p. 326, B.— Jam vero verisimile non est Epistolae scriptorem Platoni, Syracusas primum commigranti, in os imposuisse ea verba Reipublicae, in quibus totius constitutionis cardinem versari facile dixeris, nisi sciret Rempublicam ante hoc tempus editam fuisse. Admodum igitur nobis probabile esse videtur, Platonem, qui sine dubio jam tum, cum primum Magnam Graeciam visitasset, Pythagoreorum exemplo recreatus erat atque instinctus ab iis ad res publicas agendas, nunc Italiam iterum non alio petivisse consilio ([1]), quam ut commenta sua nova cum iis communicaret. Quos itaque invenimus postea intercessorum partes agentes in istis negotiis Platonis cum Dionysio minore (v. *Epist.* VII.

([1]) Clinto *Fast. Hel.* p. 377, e: «*In Italia eum* [Platonem] *bis fuisse constat, semel antequam Aegyptum lustravit, iterum post hoc tempus: qua ratione inter se concilientur Cic. Fin. V. 29 et Quintilianus Institut I, 12, 15 Etiam Aegyptum videtur bis visisse*». Quae res in subsequenti capite propius explorabuntur.

p. 339, D; 350, A; *Epist.* III, p. 317, B; Plut. *Dio.* c. 11, 18, 20; Aristid. *Or. II Plat.* p. 232 Iebb. cll. Hermann. l. l. p. 71, sq. p. 58, sqq. p. 66.), hi sunt, sine dudio, qui primi extiterint ei auctores ut Syracusas nunc ex Italia sese conferret, suimet ipsorum inceptis prosperam inde auram sperantes ([1]). Et si ipse forte Philosophus nil dum aliud rei habuisse tunc in animo est putandus, nisi ut cognosceret insulae instituta ac leges ([2]); facile tamen adventus hic, videlicet propter Politiam recens editam, praebere potuit ansam suspicioni, eum jam tum esse molitum ad reipublicae suae exemplar Syracusanam reformare civitatem. Ita Olympiadorus narrat: *γενόμενος* (Plato) *ἐν Συρακούσαις πρὸς Διονύσιον τὸν μέγαν τύραννον ὄντα ἐπειρᾶτο εἰς ἀριστοκρατίαν μεταβαλεῖν τὴν τυραννίδα.* Eodem pacto etiam Plutarchus, *Philos. c. Princ. disp.* extr. p. 779, majorem videtur intellexisse Dionysium sub his verbis: *καὶ μὴν οἱ λόγοι τῶν φιλοσόφων, ἐὰν ψυχαῖς ἡγεμονικῶν καὶ πολιτικῶν ἀνδρῶν ἐγγραφῶσι βεβαίως καὶ κρατήσωσι, νόμων δύ-*

([1]) Sunt qui narrent ipsum Dionysium arcessivisse Philosophum: v. Corn. Nep. *Dio.* c. 2. cum Ipp.; ad Majorem videlicet referentes quod Minori debetur.

([2]) Appulejus in secundum etiam iter refert Platonem se commisisse *petitu Dionysii, ut Syracusanis assisteret*, atque *ut municipales leges ejus provinciae addisceret;* prima vero vice dicit eum in Siciliam profectum esse *historiae gratia ut naturam Aetnae et incendia concavi montis intelligeret.* Quas alii causas itinerum interposuerunt, vide sis ap. Hermann. l. l. p. 116, not. 133.

ναμιν λαμβάνουσιν. ᾗ καὶ Πλάτων εἰς Σικελίαν ἔπλευσεν, ἐλπίζων τὰ δόγματα νόμους καὶ ἔργα ποιήσειν ἐν τοῖς Διονυσίου πράγμασιν, ἀλλ' εὗρε Διονύσιον ὥσπερ βιβλίον παλίμψεστον, ἤδη μολυσμῶν ἀνάπλεων, καὶ τὴν βαφὴν οὐκ ἀνιέντα τῆς τυραννίδος. ἐν πολλῷ χρόνῳ δευσοποιὸν οὖσαν καὶ δυσέκπλυτον, δρομαίους δ' ὄντας ἔτι δεῖ τῶν χρηστῶν ἀντιλαμβαμβάνεσθαι λόγων. quam sententiam videtur expressisse Plutarchus ex Platonis *Reip.* IV, p. 429, D. Cf. Id. *Dio* 4 — 5, ubi Plato per Dionem Dionysio commendatus dicitur respondise Tyranno se venisse ἀγαθὸν ἄνδρα ζητεῖν. Sic porro Aristides *Or. II Plat.* T. II. p. 229 extr. sq.: σὺ δ' ἐποίησας βελτίω τί Διονύσιον, εἰ μὲν βούλει τὸν Ἑρμοκράτους, εἰ δὲ βούλει τὸν Διονυσίου; συνεγένου μὲν γὰρ ἀμφοτέροις, οἱ δὲ τί σου καὶ τῆς σῆς συνουσίας ἀπώναντο; καί τοι διελέγου δήπου πρὸς αὐτοὺς περὶ τοῦ δικαίου καὶ νόμου καὶ πολιτείας, καὶ τὴν ἰσότητα τὴν ἐν γεωμετρίᾳ καὶ πρὸς ἐκείνους ἐπῄνεις, καὶ οὕτω φιληκόως εἶχον, ὥστε καὶ μετεπέμποντό σε, καὶ σὺ προθυμίας ἐνέλιπες οὐδὲν, ὅπως ἀγαθόν τι πράξωσι δι' ἐκείνων αἱ πόλεις. Et aliquanto post: εἰς τί καὶ πρὸς τίνας ἀνθρώπους ἐποίησε βελτίους αὐτοὺς ἡ σὴ πολιτεία; Ac rursus p. 232 de Pollide, cui a Dionysio Hermocratis f. injunctum erat vendere Nostrum: καὶ Πόλλις ἐκείνῳ μὲν συνεβάλλετο καὶ ταῦτα τοιαῦτα ἐπιτάξαντι, σοὶ δὲ οὐδέν· προσθῶμεν δὲ καὶ ὅτι Σπαρτιάτης ὢν καὶ τεθραμμένος ἐν νόμοις καὶ πολιτείᾳ δεύτερα τῶν πασῶν ἐχούσῃ παρὰ σοί κριτῇ· μᾶλλον δὲ πρῶτα τῶν οὐσῶν. καί σοι μάτην ὡς ἔοικε τὰ πολλὰ ἐκεῖνα εἰς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων πόλιν ὕμνητο. Quibus verbis manifeste alluditur ad *Reipublicae* VIII, p. 544, C; 545, A. sqq.

VI.

Ecce igitur, quatenus in Cimbricis istis tenebris perspicere nobis licuit, indicia, quibus tanquam vestigiis insistentes, persecuti sumus Politiam inde ab extrema Platonis aetate ad primum usque in Siciliam ejus adventum. Verum tamen vero ab adventu hoc ad Socratis perniciem restat adhuc XII fere annorum intervallum, quos Plato integros, ut vulgaris fert opinio, peregrinando consumpserat: Stallbaum, *De Plat. vita* etc. p. XX; Hermann, l. l. p. 63. extr. Itaque superest ut quaeramus, ubinam tandem temporis in toto hoc reliquo spatio cum Politia subsistendum. Quin etiam parum verisimile esse aliquis dicat, tale opus in peregrinationis molestiis esse compositum atque extra Graeciae fines editum. Quo ergo tutius de hoc negotio augurari possimus, proposuimus digerere, nec non, prouti nobis qui-

dem nostra fert opinio, ordinare ea, quae de itineribus Philosophi memoriae tradita sunt.

Obsequamur in his semitis, prae ceteris, Diogeni Laertio, quippe qui ante oculos habuisse videatur Hermodorum, Platonis auditorem et bibliopolam: v. nostrae *Introd.* p. 10. *Εἴκοσιν ἔτη*, sic Laertius III. 67, *διήκουσε Σωκράτους* (Plato). *ἐκείνου δ' ἀπελθόντος* (nempe *e vita*) *προσεῖχε Κρατύλῳ τε τῷ Ἡρακλειτείῳ, καὶ Ἑρμογένει τῷ τὰ Παρμενίδου φιλοσοφοῦντι. ἔπειτα γενόμενος ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἐτῶν, καθά φησιν Ἑρμόδωρος, εἰς Μέγαρα πρὸς Εὐκλείδην σὺν ἄλλοις τισὶ Σωκρατικοῖς ὑπεχώρησεν. ἔπειτα εἰς Κυρήνην ἀπῆλθε πρὸς Θεόδωρον τὸν μαθηματικόν· κἀκεῖθεν εἰς Ἰταλίαν πρὸς τοὺς Πυθαγορικούς, Φιλόλαον καὶ Εὔρυτον. ἔνθεν εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς προφήτας..... Διέγνω δὲ ὁ Πλάτων καὶ τοῖς Μάγοις συμμῖξαι, διὰ δὲ τοὺς τῆς Ἀσίας πολέμους ἀπέστη. ἐπανελθὼν δὲ εἰς Ἀθήνας, διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ.* Hactenus Laertius de itineribus; deinceps sequitur militia Platonis et alia: de Sicilia tamen visitata hoc loco *οὐδὲ γρῦ*, quod iter non nisi § 17 sqq. separatim enarratur. Lubeat interdum acquiescere in hac Laertiana relatione. Putandus igitur est Plato e *Megaris* profectus, lustrata *Italia* atque *Africa* in *Asiam* tetendisse; cum autem *interius* in eam penetrare frustra tentaret, *Athenas* tunc rediisse. Videamus, si forte id cum ceteris de itineribus Philosophi testimoniis in concordiam reduci possit.

Quo tempore primus hic Philosophi in patriam reditus ponendus sit, etsi non certo quidem, probabiliter saltem definiri, nisi fallor, potest. Et quidem Olymp. XCVI, a. 3 initio, i. e. circa auctumnum 394 a. Chr., nondum reliquerat Aegyptum (¹). Residebat enim Memphi quando Chonuphis propheta acceperat interpretandam inscriptionem quandam ex Alcmenae sepulcro ab Agesilao Haliarti effossam: v. Plutarchum, *De genio Socrat.* p. 579, B. Hoc vero vix alio tempore fieri potuit, nisi quo Agesilaus venerat primum cum exercitu in Boeotiam, evocatus ille ex Asia post interitum Lysandri; quod cadit in medium fere Augustum a. Chr. 394. (Dodwell. *Chronol. Xenoph* c. XVII, p. 28, sq. Schneider.; Clinto, *F. Hell.* s. h. a.; cll. p. 288; Lachmann, *Gr. Gesch.* p. 132, sq.). Non multo tamen post videtur Noster hanc terram reliquisse. Nam cum, ex Aegypto

---

(¹) Ap. Strab. XVII, p. 806, dicitur Plato *tredecim* annos Heliopoli una cum Eudoxo studuisse. «*Tredecim annorum numerus*, inquit Clinto, *F. H.* p. 378, e. *adeo non est probabilis ut praeferendum esse videatur quod posuit qui epitomen fecit, τρία ἔτη.*» etc. Cum autem idem V. D., suffragante Idelero (in *Comm. Acad. Berol.* 1828 p. 191—194, ap. Hermann. l. l. p. 114, not. 123.), Eudoxum dicat propter aetatem non potuisse in hoc itinere Platonem comitari, demus potius philosopho nostro Simmiam Thebanum pro comite, ut est ap. Plutarchum l. deinceps l., quam cogitemus cum Clintone de altero itinere ejus in Aegyptum. Sic ap. Diogenem etiam l. l., insiticia, ut videtur, manu, Platonem in Aegypto comitatur Euripides, qui jam dudum obierat. Ceterum. qui faciunt Nostrum Delios cum oraculo remittere ad Eudoxum, ut Plutarchus etiam: iis judicibus Mathematici aetas neutiquam videbatur conciliari non posse cum aetate Platonis.

naviganti, ad Cariae oram obviam ei venissent Delii, rogantes ut explicaret sibi obscurum quoddam oraculum ([1]), Plato, ait Plutarchus l. l., recordatus Chonuphis, iisdem fere verbis, quae Propheta ex inscriptione quasi antiqua Agesilao occinuerat, monuit ipse Delios, *Deum jubere omnes Graecos, bellis et calamitatibus remissis, Musis litare.* At responso hoc, perinde atque illo, quod ab Aegyptio redditum est, Corinthiaci, si cujus, belli mala innui, quis erit, qui infitias eat? Accidit hoc circa littora Cariae, quando *ex Aegypto*, teste Plutarcho, vehebatur: in Asiam videlicet profecturus, ut Magos adiret, quemadmodum scribitur apud Laertium. Jam vero cum id consilii ad irritum cecidisset, propter Asiatica bella (fuerintne ea, quae Cnidiam victoriam insecuta sunt: Xenoph. *Hell.* IV, 8, 1 sqq?.), quid, quaeso, magis fuerit consentaneum, quam ut ex Asia in patriam deverteret, cum jam diutius quidem, quam aequum esset, familari caruisset lare? Quid, quod etiam stipendia fecerit in Corinthiaco bello? Interfuit enim, ut tradit Laertius III, 8, interposito teste Aristoxeno, pugnis ad *Tanagram*, tum

([1]) Dicunt Deum jussisse *cubum duplicare:* cf. Id. *De εἶ ap. Delph.* V. p. 386; Philopon. *Anal. post.* I. p. 209, B; Eratosth. ap. Theon. Smyrn. c. I. Hermann. l. l. p. 112, not. 109. Ceterum juvat addere verba Montuclae *Histoire des Mathematiques.* Paris. an. VII, T. I, p. 174: «*A l'égard de l'histoire de l'oracle, ce ne peut être qu'une fable imaginée par quelque mathématicien, qui a voulu donner de l'importance à ce problème*». Paullo aliter rem hanc retulit Valerius M. VIII, 12: «*Platonis.... qui conductores sacrae arae, de modo et forma ejus secum sermones conferre conatos, ad Euclidem Geometram ire jussit*».

ad *Corinthum*, denique ad *Delium*. Ad Tanagram et Corinthum dimicasse Nostrum refert etiam Aelianus *V. H.* VII, 14. Ipse quoque innuit stipendia sua in narratiuncula apud Laert. III, 24, quam repetivit Hesych. in *V. Plat.* s. f. Et non credo aliquem fore, qui serio audiat Lucianum in *Parasito* c. 43 nugantem, «*philosophos aut omnino non militasse, aut si militarent terga dedisse*»; praesertim cum ex cohorte ista philosophorum imbellium, quos ille similiter atque Platonem οὔτε ἰδεῖν παράταξιν dicit, Antisthenem strenue ad Tanagram dimicasse novimus (Laert. VI, 1.); neque Aristoteles armis inexpertus mansit (Id. VIII, 13; Epicur. ap. Eus. *Pr. Ev.* XV, 2.), et Socratis virtus probata est (v. Vater. *Scena Conv. Xenoph.* in Klotz. *Archiv f. Philol.* 1843. IX Suppl. B. 1 Heft. p. 61.). Atque etiam verisimile, medius fidius, non est Platonem talem fuisse, qui, cum fratres ejus minores vel tenera, si placet, aetate fortiter pugnaverint ([1]), ipse πλατύτατος

([1]) Plat. *Reip.* II, p. 368 A. Si omnino necesse est Glauconem *imberbem* pugnasse, potuit *ad Megara* congredi cum hoste aut Olymp. XCII, 4, quo Diodorus XIII, 65, Megarenses, postquam Nisaeam ceperunt, ab Atheniensibus internecione caesos esse narrat; aut etiam Olymp. XCIII, 1, quando Spartani ab Urbe repulsi, premebantur ab Atheniensibus πανδημεί usque ad Peloponnesum: Diodor. Sic. XIII, 72, quos locos ipse Hermannus indicavit: *De Plat. Rep.* not. 85, 78; ita ut non opus sit cogitare de Megarica pugna, conserta Olymp. LXXX 1. vel 4, quod Adimanti et Glauconis aetas non patitur. *Anachronismum* vero in fratrum, nec non parentis encomio commissum, nemo certe Platoni exprobrabit.

militiae nomen dare detrectaret. Verum tamen vero cum praelia ista ad Tanagram et Delium, ubi Plato militasse dicitur, non possint intelligi clara illa, quippe quibus propter aetatem interfuisse nequeat; aliae autem expeditiones in Boeotiam magis Philosophi aetati congruae reperiantur nullae; necesse est referantur ea ad leviores aliquas armorum commissiones belli *Corinthiaci* vel *Boeotici*, quarum hodie oblitterata est memoria (¹). Ad

---

(¹) Cf. Perizon. ad Aelian. l. l. Clinton. *F. H.* s. a. 395. Vaterus noster V. D. l. l. p. 60, cum neget pugnam ad Delium, in qua Socrates dicitur Xenophontem servasse (Diog. L. II, 22; Strab. IX, p. 403.), esse celeberrimam illam, ubi Athenienses a Boeotis fugati sunt, referendum censet facinus hoc ad aliud aliquod proelium eodem loco posterioribus temporibus consertum, nempe ad idem, cui etiam Platonem Aristoxenus interfuisse tradidit. Sed vereor ut Socrates commilitonem habuerit Platonem, qui vixdum ex ephebis excederet, quando Magister ejus aetatem militarem jam superavit, nisi extremo aliquo reipublicae discrimine, quando et extra et qui infra aetatem militarem fuerunt militiae nomen darent. Eo minus extra fines Atticae ad arma cogendus erat Socrates senex. Dicitur etiam Socrates Platonem a militia, in quam (mercenarius?) profecturus erat, ad philosophandum revocasse: Aelian l. l. III, 27; ita ut, si huic narrationi fides aliqua habenda, dixeris Platonem *vicenarium*—tot enim a. n. ad Socratem primum accessit: Laert. III, 6.—non militiae, sed philosophiae potius vacasse. Quod autem attinet ad *Epistolam* inter Socraticas XIV, ubi narratur Socrates *moriens* Critoni mandasse, ut Aesculapio gallum pro se sacrificaret, quod votum susceperat reversus ex pugna ad Delium: si narratio vera, pugna haec sub ipsam *septuagenarii* Socratis mortem esset ponenda; siquidem Socrates, vir religiosissimus, non solummodo, ut observat clarissimus Vaterus, XXIV annos, sed, me judice, ne dies quidem totidem tantillum votum exsolvere detrectaverit. Ceterum Epistolae male feriatus auctor sumpsisse videtur gallum hunc mutuo ex Platonis *Phaedone* p. 118, A; cum autem non intellexerit sublimem ironiam morientis Socratis, qui solutionem e corpore cum recuperata valetudine comparavit, de suo adpinxit morbum istum, in quem Socrates post Deliam quasi pugnam inciderit. Simili pacto in *Epist. Pl. XI*, *senex* Plato absentiam *Socratis* morbo quodam excusat: p. 358, D, cll. Ast. *Pl. Schr.* p. 526. Hermannus *Phil. Pl.* p. 100, nott. 47. 51, pessumdato Aristoxeno, credit stipendia ista Platonis ficta esse ad eorum similitudinem, quae a Platone Socrati tribuuntur; cui conjecturae nil equidem habeo, quod respondeam. Ceteroquin Xenophontem, qui primarius fons est ad cognoscendam illorum temporum historiam, non potuisse nisi graviores enarrare res, ultro consequitur; quod ipse etiam declaravit liquide sub Olymp. 96, 4: *Hell.* IV, 8, 1. Atque etiam plurima de rebus tunc gestis aliunde discimus etiam num, de quibus ipse tacet: cf. ex. gr. Schneider. ad *Hell.* IV, 4, 15.

quod bellum stipendia haec pertinere etiam *Corinthi* nomen arguit; tametsi pugnam hanc ad Corinthum quominus pro majore illa Diophanti anno pugnata accipiamus, ut vult Clinto *F. H.* s. a. 395, vetant nos calculi nostri, utpote Platonem eo tempore in Aegypto adhuc commorari ostenderimus.

Quod si ita sit, ultro consequitur, id iter, quo Noster a Dionysio majore iniqua perpessus est, non eodem cum prioribus illis tenore susceptum fuisse. Rediit vero Plato ex prima hac in Siciliam peregrinatione Olymp. XCVII extrema. Etenim Anni-

ceris iste Cyrenaeus, qui eum a Pollide ([1]) redemit, dicitur venisse in Aeginam ut se ad *Olympicos ludos* praepararet. Olympiodor. p. 587 (qui tamen perperam retulit injuriam hanc Philosopho impositam ad minorem Dionysium): Ὁ δὲ (Pollis) ἀγαγὼν αὐτὸν (Platonem) εἰς Αἴγιναν, εὗρεν Ἀννίκεριν ἐκεῖ, τὸν Λίβυν, μέλλοντα πλεῖν ἐπὶ τὴν Ἦλιν, ἐφ᾽ ᾧ τεθρίππῳ ἀγωνίσασθαι. Item Philopon. *in Aristot. Phys. II*, p. 355 A. s. f. Brandis, licet suppresso Anniceridis nomine: γράφεται καὶ λυτρωσάμενος ἀντὶ τοῦ λυσάμενος, οἷον εἴ τις ἐν πόλει ἐλθὼν εὕροι ἄν τινα δέσμιον, εἶτα λυτρώσαιτο αὐτόν, καίτοι οὐ τούτου ἕνεκεν ἦλθεν, ἀλλὰ τὸ ἐκβὰν οὕτω γέγονεν ὡς ἂν εἰ τούτου ἕνεκεν ἦλθεν· ἀπερχόμενος γὰρ ἀγωνίσασθαι Ὀλύμπια, καὶ εὑρὼν ἐν Αἰγίνῃ Πλάτωνα δεδεμένον, ἀγοράσας ἐλυτρώσατο, εἰπὼν ὅτι οὐκ ἂν πολλὰς νίκας ἐν Ὀλυμπίᾳ ἀντηλλάξατο τῆς πράξεως ταύτης. Haec autem, quae tunc instabat, Olympias nulla alia esse potest, nisi *nonagesima octava*. Huc etiam optime quadrat bellum illud, quod internecinum gerebant contra Athenienses Aeginetae, quibus Platonem Pollis perdendum

---

([1]) Pollidem hunc Aristides *Or. II Plat.* p. 233 vocat *Laconicum nauarchum;* est, procul dubio, idem, quem hac dignitate indutum (*Πῶλος*) invenimus jam exeunte 400 a Chr: Xenoph. *Anab.* VII, 2. 5; post victoriam Cnidiam eluit ἐπιστολεύς: Id. *Hell.* IV, 8, 11; Olympiadis vero CI $\frac{4}{3}$ = 376 rursus classis praefectus: Id. V, 4, 61, et ibi Schneider. A Chabria tandem submersus: Laert. III, 20.

tradidit: Phavorin. ap. Laert. III, 19; Plutarch. *Dion.* c. 5. Neque enim ullum aliud, nisi fallor, in horum temporum vicinia invenies, nisi de quo Xenoph. *Hellen.* V, 1, 1, sqq., extremo jam Olymp. XCVII, 4 geri coeptum: Dodwell. *Chron. Xenoph.* c. XXIII; Lachmann. *Gr. Gesch.* p. 197. Et certe quidem, ex quo Lysander Athenienses ex insula expulerat (Xenoph. l. l. II, 2, 9.), usque ad muros a Conone restitutos, nullae iis cum Aeginetis inimicitiae esse potuerint, tum quod navibus ipsi carerent, tum etiam propter Spartanos, Aeginetarum fautores; quod attestatur Xenophon l. l., dicens: ἐπιμιξίᾳ χρωμένων τὸν πρόσθεν χρόνον τῶν Αἰγινητῶν πρὸς τοὺς Ἀθηναίους, ubi v. Schneider. Rebus tamen Corinthiaco bello perturbatis, in novas commiserunt utrumque populum inimicitias Spartani, Atheniensium invidi. Verisimile itaque apud me est, legem istam, qua Platonem capitis voluerat plectere Charmander quidam Charmandridis, qui a Phavorino l. l. etiam hujus legis auctor dicitur, latam fuisse maxime instinctu Eteonici Laconis, quem Xenophon l. l. dicit permisisse Aeginetis λῃίζεσθαι τὸν βουλόμενον ἐκ τῆς Ἀττικῆς. Qua de re audivisse videtur Scholiasta Aristidis, qui eundem Platonis casum respiciens haec inter alia annotavit T. II, p. 233: ἔπειτα περιγενόμενοι Ἀθηναίων Λακεδαιμόνιοι (Lysander?) ἦλθον εἰς Αἴγιναν καὶ πολιορκήσαντες εἷλον αὐτήν τε καὶ τοὺς Ἀθηναίους ἐποίκους, οὓς καὶ παρέδοσαν Αἰγινήταις ἀποκτείνειν. ἐντεῦθεν αὐτοὺς μᾶλλον περιποιούμενοι καὶ πρὸς τούτοις ἠνάγκασαν αὐτοὺς ψήφισμα γράψαι, τὸν ἁλόντα

ἐν Αἰγίνῃ Ἀθηναῖον τεθνάναι. Hunc Platonis cum Dionysio congressum videtur respexisse **Eusebius**, cum in Chronico suo sub Olymp. XCVII, 4 scripsit: «*Plato philosophus agnoscitur*». Quem vero tunc temporis Plato aetatis egerit annum, non difficilis est responsio. Nam Socrate interempto grandis erat *duodetriginta* annos, quod tradidit Hermodorus ap. Laert. II, 106; III, 67 (*); interfectus est autem Socrates Thargelione Olymp. XCV, 1 = Majo 399 a. Chr.: v. Clint. s. h. a.; itaque Noster Thargelione—hoc enim mense editus esse fertur—Olymp. XCVII, 4, i. e. Majo 388 a. Chr., qui annus est undecimus a Socratis supplicio, absolvet *undequadraginta* annos, et *quadragenarius fere* commorabitur in aula Tyranni. Quod

(*) Quod testimonium non discrepat ab aliis aetatis Platonicae calculis. Etenim si eo cogimur *natalitia* Philosophi conferre in Thargelionem Ol LXXXVIII, 1 i. e. Majum 427 a. Chr., comprobatur hoc testimonio A p o l l o d o r i saltem, ap. Laert. III, 2; nec non E u s e b i i. Tum, *obiisse* dicitur Ol. CVIII, 1, qui incipit 19 Julii 348 a. Chr., et quidem obiit *ipso mense natalitio*, quod, nisi fallor, fictum est a discipulis; si ergo obitum ejus in sequentem mensem promoveas, qui est anni Olympici ultimus, oppetet mortem Plato *octogesimo primo* aetatis anno. Quem numerum cum alii testantur (v. Clinton. s. a. 347. nugatur ergo Seneca *Ep.* 58: «*natali suo decessit, et annum unum et octogesimum implevit sine ulla deductione*»), tum, si quid sapiam, C i c e r o, qui *De Senect.* c. 14. eundem annum indicavit, etsi eum perperam ad iter Italicum retulit: quandoquidem annus, quo Css. fuerunt *L. Camillus* et *Ap. Claudius*=U. C. 405, est ipsissimus iste in quem Platonis mors incidit, si Urbem conditam e ratione C a t o n i a n a ponamus sub exeuntem Olymp. sextam.

egregie comprobatur verbis *Epistolae* VII, p. 324, A: ὅτε γὰρ κατ᾽ ἀρχὰς εἰς Συρακούσας ἐγὼ ἀφικόμην, σχεδὸν ἔτη τετταράκοντα γεγονώς. κ.τ.λ....Jam vero ex toto isto cum Dionysio infelici commercio suspicari licet Platonem non admodum sane diu gavisum esse Siculis dapibus (secus hac de re sensit Hermann. l. l. p. 62.); non multum ergo a vero aberrabimus, si totum istud Italicum, vel si vis, Siculum iter quam brevissimo temporum spatio circumscribemus, ita ut inter hoc novum iter, atque reditum ex prioribus illis peregrinationibus Philosophum per *sex* ferme annos domi mansisse statuamus.

Sed revertamur, unde sumus egressi. Diximus, Platonem putandum diverso a praecedentibus, quando Aegyptum praecipue atque Italiam peragravit, peregrinationibus tempore navigasse in Siciliam, cum *primum* navigavit; et quidem post sexennalem ferme Athenis commorationem. Quapropter C y r i l l u s c. *Jul.* I, p. 146, loquens de hoc conventu cum Dionysio majore dicit: ἐξ Ἀθηνῶν ἐπὶ Σικελίαν ἔφοδος. Sed antea Plato *in Italiam* appulit: *Epistol.* VII, p. 326, B: εἰς Ἰταλίαν τε καὶ Σικελίαν ἦλθον, ὅτε πρῶτον ἀφικόμην; annuente P l u t a r c h o in *Dione* c. 4: ἐκόμισεν ἐξ Ἰταλίας εἰς Συρακούσας Πλάτωνα καὶ Δίωνα συνήγαγεν εἰς λόγους αὐτῷ, νέον μὲν ὄντα κομιδῇ. κ.τ.λ. Neque hoc mirum; quandoquidem verisimile est, ut diximus, eum in Siciliam venisse Pythagoreorum instinctu. *Bis* ergo visitavit Italiam Noster: s e m e l ante Aegyptiacam viam, et nunc i t e r u m, Syracusas profecturus. Itaque propter hanc, si

quid sapiam, maxime causam, quod nempe discrimen illud inter bina Italica itinera non observaretur, accidit, ut priores peregrinationes cum posterioribus in unum confunderentur. At discernit A p p u l e j u s, usus ille, ut videtur, copiis Speusippeis: «*Sed postquam Socrates homines reliquit, quaesivit* [Plato] *unde disceret, et ad Pythagorae disciplinam se contulit .... et quod Pythagoreorum ingenium adjutum aliis disciplinis sentiebat, ad Theodorum Cyrenas, ut geometriam addisceret, est profectus: et astrologiam adusque Aegyptum ivit petitum, ut inde prophetarum etiam ritus addisceret. Et ad Italiam iterum venit, ut Pythagoreos Eurytum Tarentinum et seniorem Archytam sectaretur*». Tum cumulum quasi addit verbis Appulejus adjecta obiter mentione i r r i t a e illius in interiorem Asiam profectionis, quam susceperat Plato cognita Aegypto: «*Atque ad Indos et Magos intendisset animum, nisi eum bella tunc vetuissent Asiatica*». Vides ergo relationem hanc conspirare cum iis, quae a Laertio accepimus, nisi quod Appulejus Megarica studia omittit, Theodorum vero post Pythagoram posuit, non aliam, credo, ob causam, nisi quod Platonem putabat Pythagorae imprimis sapientiam appetivisse, ceteris secundas tribuentem.

Non multum differt, si peregrinandi ordinem spectes, a Laertio etiam A n o n y m u s Heerenii in *Plat. Vita* (*Bibl. d. alt. Liter. u. Kunst.* St. V. p. 14.), nisi quod geometria ad Aegyptios relata, pro Theodoro Cratylum substituit (¹); sed itinera

(¹) De T h e o d o r o, quem Plato, ut ex *Theaeteto* dialogo patet (p. 143, E; 147, D sqq. 161, B sqq. 168, E.), Socrate vivo Athenis cognoscere potuerat (cf. S c h o l. Aristid. T. II p. 201.), dubitat etiam Astius l. l. p. 25, an eo magistro Noster uti voluerit; sed v. contra Hermann. l. l. 52. M a g o s non vidit; «da er jedoch einmal, inquit Hermann. l. l. p. 114, not. 124, mit den Lehren der Magier und Chaldäer bekannt geworden seyn sollte (Plin. hist. nat. XXX 2; Pausan. IV, 32, 4; Lactant. IV, 2 etc.), so lassen ihn Olympiodor und die Vita anonyma auf halbem Wege in Phönicien mit denselben zusammenkommen». I o n i a m saltem visitasse videtur, ubi H e r a c l i t e o s cognovit: *Theaet.* p. 179. D, sqq. cll. K r i s c h e *Theol. Lehr.* p. 239.

omnia uno eodemque temporis tractu apud eum Plato fecit: *Μετὰ δὲ τὴν εἰς Σωκράτην φοίτησιν ἀπῆλθεν πρὸς τοὺς Πυθαγορείους.... ἐφοίτησε δὲ καὶ Κρατύλῳ τῷ Ἡρακλεωτίῳ* [cf. A s t. *Pl. L.* p. 19.].... *Μεμαθηκὼς δὲ ὅτι τὴν ἀρχὴν εἶχον τῆς φιλοσοφίας οἱ Πυθαγόρειοι ἀπὸ Αἰγύπτου, ἦλθεν εἰς Αἴγυπτον, καὶ καθορθώσας ἐκεῖσε τὴν γεωμετρίαν καὶ τὴν ἱερατικήν, ἀπεχώρησεν. Ἔνθα ἐλθὼν εἰς Φοινίκην περιέτυχε ἐκεῖσε Πέρσαις, καὶ ἔμαθεν παρ᾽ αὐτοῖς τῆς Ζωροάστρου παιδείας. εἶτα ἐκεῖθεν ἐπὶ Σικελίαν ἀφίκετο, τοὺς ἐν Αἴτνῃ κρατῆρας ἱστορῆσαι βουλόμενος, ὅτε καὶ τὴν εἰς Διονύσιον ἔντευξιν ἐποιήσατο. μετὰ ταῦτα δὲ ἐλθὼν εἰς Ἀθήνας συνεστήσατο διδασκαλεῖον.* Non repugnat Q u i n t i l i a n u s *Instit.* I, 20: «*Non contentus disciplinis quas praestare poterant Athenae, non Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat, Aegypti quoque sacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit*». Videamus nunc si obstet C i c e r o, antiquissimus quidem testis, ut ait H e r m a n n u s p. 52; quem propterea etiam lo-

cupletissimum in rem praesentem nominaverim. si eadem antiquorum testimoniorum esset virtus ac vini antiqui, non autem aliquando ad mulierum potius naturam accederet. Cicero ergo *De Rep.* I, 10 sic: «*audisse te credo Platonem Socrate mortuo primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam et in Siciliam contendisse, ut Pythagorae inventa perdisceret; eumque et cum Archyta Tarentino, et cum Timaeo Locro multum fuisse, et Philolai commentarios esse nactum, cumque eo tempore in his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus Pythagoreis et studiis illis dedisse*». Eadem *Finn. B. M.* V, 29:.... «*cur Plato Aegyptum peragravit?... cur post Tarentum ad Archytam? cur reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Acrionem Locros?*» cll. *Tuscull.* I, 17. En Tullius etiam duas peregrinationes discernit. Sed cum noverit Platonem ex duobus potissimum fontibus sapientiam suam hausisse, ex Aegyto videlicet (Hermann. l. l. p. 112, not. 111.) atque Italia, Platonis studia ita disponit Cicero, ut in prima peregrinatione dicat eum ad Aegyptia quasi arcana praecipue animum intendisse, in secunda vero Pythagoreos percoluisse. Neque tamen aequum est vitio vertere Ciceroni eum minus scrupulosum fuisse in minutiis istis observandis; non enim ille ex industria de Philosophi itineribus agit, sed in transitu tantummodo atque historiae exemplique gratia eorum mentionem injecit.

Si haec nostra de itineribus disputatio stare possit, non amplius obstabit absentia Philosophi, quominus Politiam ante primam in Siciliam peregrinationem scriptam publicatamque fuisse credamus. Quoniam post primam peregre profectionem putandus est circa Olymp. XCVI, 3 ineuntem, vel non ita multo post, in patriam revertisse, Cononis victoria in laetiorem spem erectam. Reversus vero, ad tractandas quidem publicas res ipse accessisse non videtur; contemplandis tamen iis vehementiori studio intentus, qua meliore eae conditione instiui possent anxius cogitabat. *Epistola* VII, p. 325 C, sqq: «*Consideranti mihi et haec et homines res civiles gerentes, et leges et mores, quanto magis considerabam et aetate progrediebar, tanto difficilius videbatur rempublicam recte administrare; sine amicis enim viris fidisque sodalibus hoc fieri non poterat, quos neque praesentes reperire facile erat (etenim civitas nostra jam non ex patrum moribus ac studiis gubernabatur), neque novos alios facile poteram acquirere; praeterea leges scriptae et consuetudines corruptae erant, et mirum quantum crevit haec depravatio. Quocirca ego, qui primum magno animi impetu ad res communes gerendas inclinaveram, haec respiciens et omni modo agitata videns tandem titubavi; et licet non desisterem cogitare quomodo melior fieri posset rerum harum et universae reipublicae status, semperque rerum gerendarum occasionem exspectarem, tamen ad postremum intellexi omnes ad unam nunc civitates male gubernari; leges enim in ipsis fere insanabiles sunt, non ex instituto quodam admirabili, sed e casu suspensae; et dicere coactus sum rectam laudans philosophiam, ex hac et publicam et privatam omnem justitiam cognosci oportere; humanum igitur genus a malis liberum non fore priusquam aut ii qui recte vereque philosopharentur ad magistratus civiles pervenirent, aut potentes in civitatibus divina quadam sorte vere philosopharentur*». Extrema verba, ut diximus, Politiae argumentum denotant, cum videlicet

eam his temporibus primum fuisse litteris consignatam Epistolae scriptor compertum sibi habuerit. Et profecto quidem nullum equidem, ut aperte loquar, Politiae componendae magis opportunum tempus invenio, quam primum illud Philosophi domesticum otium, ex voluntario exsilio civibus tandem redditi. Nondum hebetati fuerunt stimuli, qui juvenem ad rempublicam administrandam agebant; quin immo novus iis Pythagoreorum contactu succrevit vigor. Officit perversa civitatis conditio? age, mutemus istam conditionem. Ostendamus male feriatis illis, qui nunquam ex antro suo in solis lucem προέκυψαν, beatioris status viam ac rationem. Eheu, longiore opus erat vitae usu ut tandem experiretur Philosophus, coelestia illa somnia non tam facile apud terrae filios fidem invenire posse. Etenim vixdum Politia emicuit in vulgus—Venerem dixeris ex spuma productam—barbaram dixerunt quandam, ex Aegypto scilicet advectitiam (v. spr. p. 118, sq.), non Graecam, non Atticam. Quin imo in theatro derisa est atque exsibilata. Cum ergo ita expertus esset, populum Atheniensem, ut Ciceronis verbis loquar, jam desipere senectute, cumque eum nec persuadendo nec rogando regi posse vidisset (v. Cic. *Ep. ad div.* I, 9; cll. Plat. *Polit.* VI, p. 496, C. sq. Id. *Ep.* VII, p. 322 B. *Ep.* V, p. 322, B. Diog. L. III, 78.), iterum vale dixit Athenis, atque ivit quaesitum ubinam alias terrarum, sive in Magna Graecia, sive in Sicilia, sive forte in beatorum nescio quibus insulis inveniret aliquem dominum, industrium videlicet et fortem et magnanimum, qui Καλλίπολιν suam ungentis perfusam et lana coronatam ovans inter mortales introduceret.

VII.

Haec omnia, quae pro Morgensternio disputavimus, si ita verisimilia etiam aliis videantur, ut ea nobis sunt visa, non equidem diu haesitaverim Politiae primariam editionem cum Ipso ex Ecclesiazusarum didascalia constituere. Nam eam, quae inter singulos utriusque operis locos intercedat similitudo non ambiguam esse aut fortuitam, jam vel hoc pro documento haberi potest, quod etiam tales viri ut Spengel, Bergk, Meineke non veriti sunt pronunciare, Platonem in hac fabula ab Aristophane salibus esse perfrictum (¹). Imo, qui alii doctores hoc denegent, eos non

(¹) Spengel. *Artt. Scriptt.* Stuttg. 1828. p. 135: «*Ut Platonis Respublica Aristophanis leporem, qui eam illuderet excitaverat, ita Phaedrus et Convivium, in quibus suam de amore sententiam explicuerat, Alexidis non effugit salem, qui fabulam Phaedri nomine docuit, cujus initium, ut videtur, Athenaeus servavit*». Bergk. *Comeod. Att. Reliqq.* Lipsiae. 1838. p. 81, sq.: «*... Olympiade XCVI media, quo tempore Platonem libros de republica edidisse idoneis comprobari potest argumentis: locupletissimus auctor Aristophanes, qui in Ecclesiazusis ipsam hanc doctrinam, quam Plato in illis libris proposuit, scite exagitat ipsumque etiam Platonem, obscurato quidem nomine, objurgat*». Meineke. *Hist. crit. Comicor. Graec.* Berol. 1839. p. 287. sq.: «*Platonica de communione bonorum doctrina in Ecclesiazusis manifesta irrisione traducitur. vid. Morgensternii Comm. de rep.*

aliam equidem ob causam, nisi ὕβρεως δίκην metuerem, ad sententiam hanc improbandam primum inductos esse ausim suspicari, quam quod cum ea operis Plat., quam sibi computassent, aetas in concordiam nullo pacto redigi posse videretur. Sed quae ab iis admotae sunt machinae, eae hactenus nondum, me hercule, potuerunt subvertere id, quod adpinxerat olim Bisetus argumento suo Concionantium (¹): ὁ δὲ Ἀριστοφάνης διὰ τούτων τοὺς φιλοσόφους, οἷς ἐχθρὸς ἦν, μάλιστα δὲ τὰ τοῦ Πλάτωνος περὶ πολιτείας βιβλία ψέγειν, σκώπτειν καὶ κωμῳδεῖν δοκεῖ. Percurramus primum, si lubet, singula, quae ab iis objiciantur obstare, quominus in Ecclesiazusis Plato rideri putetur.

---

platon. p. 73. sqq. *Cujus disputationem qui nuper chronologicis rationibus convellere conatus est cl. Stallbaumius Prol. ad Plat. Remp. p. LXIX sqq. non iis mihi usus esse videtur argumentis quibus nihil opponi possit».* Cf. Fritzsch. *Quaestt. Aristoph.* T. I. Lips. 1835. p. 192. sq. Zimmermanni scriptionem *De Aristophanis et Platonis amicitia aut simultate* non vidi.

(¹) P. 114 Aristoph. Küster. «Diese [Biseti] Bemerkung, fast nur gelegentlich hingeworfen, hat *Lebeau* der Jüngere aufgegriffen, und darnach eine Abhandlung für die Akademie geschrieben, «*sur le vrai dessein d'Aristophanès dans la comédie intitulée Ἐκκλησιάζουσαι*». Sie steht im XXX Bande der *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, p. 29. folg. [an. 1760]. Der Beweis beruht auf Zufälligkeiten und gänzlich missverstandenen Stellen». etc. Sic judicat Dr. Glypheus: *Aristophanes Weibervolksversammlung, nebst einer Abhandlung über Veranlassung, Absicht und Darstellung des Stücks.* Stuttgart. 1836. p. 26, sq. p. 140; nobis Lebeau incognitus.

Primum, objicitur aetas Philosophi. Nam acta est fabula, ex Palmerii ratione, Olymp. XCVI, 3, quo tempore Plato nondum scilicet satis maturus erat ad perfectissimum opus concipiendum; Politia autem nullum reperies perfectius. Deinde, non satis insignem et nobilem credunt fuisse tunc temporis Platonem, ut Aristophanes eum *dedita opera* taxaret. Denique contra Morgensternii opinionem etiam hoc antestantur, quod Comicus, si Platonem produxerit, nominare saltem eum debuerit (¹).

Primum, quod ad aetatem attinet, jam supra vidimus nullam esse tam diomedeam necessitatem, quae nos cogat Politiam pro seniore Platonis prole agnoscere. Quin imo nescio an ulla ad perfectissimum opus componendum magis idonea fuerit aetas, quam ea, qua Noster Ecclesiazusarum tempore gaudebat. Commissa est fabula, secundum nostram quidem computationem, qua de re erit ubi agemus, Dionysiis Urbanis anni Demostratei: Olymp. XCVII, 3=6—9 Apr. 389 a. Chr. Jam jam igitur Plato vergebat ad illum aureum vitae humanae terminum, quando, ut veteres cecinerunt, *prudentia linguaque consummatur:*

Ἑπτὰ δὲ νοῦν καὶ γλῶσσαν ἐν ἑβδομάσι μέγ' (ἄριστος.

(¹) Hermann. *Pl. Ph.* p. 537:... «und dass Aristophanes, wenn Plato wirklich damals schon so bedeutend gewesen wäre, um eine ganze Komoedie gegen ihn zu richten, ihn auch hätte nennen müssen, um die beabsichtigten Wirkungen zu erreichen». Cf. Vater. *Rer. Andocid. Part. II.* p. 198 sq. (in Iahni Archiv. f. Ph. T. IX fasc. 2); Stallbaum. *Prol. ad Remp.* p. LXXII extr.

Atque etiam, si tale quid in libris de Republica reperiatur, quod serioris potius aetatis horae congruum sit, id nos quidem nequaquam morabitur, si reputemus, maxime esse probabile libros hos, quales hodie admiremur, iterata lima esse perpolitos.

Num autem satis nobilis atque insignis Plato fuerit, qui ab Aristophane taxaretur? Ex antiquissima Codridarum stirpe oriundus, jam pridem reipublicae gerendae particeps (*Epist.* VII, p. 324, D. sqq.), divinis naturae dotibus inter omnes eminens, jam Socrate vivo alumnus ipsius haud ignobilis: cum tandem, quem extorrem fata agebant, multorum hominum visis moribus et urbibus, Plato domesticos salutaret focos: quo non studio contentioneque et adiretur et audiretur ab Atheniensibus ([1])? Quanto non aestu eriperent sibi e manibus praestigiosum Librum *χαυνοπολῖται*, quorum ignara loquendi audiundique cupido in proverbium abiit ([2])? Nihil igitur, per fidem, fuisset mirum, si Comicus eum in scenam produceret; quanto id minus, cum hoc

---

([1]) Ita conveniebant Thebani frequentes Simmiam, Platonicorum itinerum socium, domum reversum; *καὶ γὰρ*, ait Plutarch. *Socr. Gen.* p. 576, B. *ὁ Σιμμίας πολὺν χρόνον ἐπὶ τῆς ξένης γεγονώς, καὶ πεπλανημένος ἐν ἀλλοδάποις ἀνθρώποις, ὀλίγῳ πρόσθεν εἰς Θήβας ἀφῖκτο, μύθων δὲ παντοδαπῶν, καὶ λόγων βαρβαρικῶν ὑπόπλεως ὤν.*

([2]) ... *Ἀθηναῖοι δὲ πάντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι, οἳ εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν, ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον*, scribitur in *Actt. Apostt.* XVII, 21. Cf., ne plura in re notissima, pulcherrimum locum Platonis *Reip.* VI, p. 492, B, sq.

ita fecit, ut nequaquam de industria contra Platonem totam comoediam scriberet; sed commentis ejus minime quidem parcens, simul usus est iis ansa quasi ad corripiendos sugillandosque Athenienses.

Desideratur in fabula nomen Platonis? Sed qui opus erat auctorem nominare, cum liber in omnium ferretur ore, fabula vero non unice contra librum hunc scriberetur? Verum tamen vero acute Vv. Dd. perspexerunt (v. Bergk. *Com. Ant.* p. 404 not. Meineke. *Hist. Com. Gr.* T. I, p. 287.) *Aristyllum*, qui ridetur in Ecclesiazusis v. 647, ubi sermo de communibus liberis (cll. *Pluti* v. 313), neminem alium esse intelligendum, nisi Platonem ipsum, cui proprie *Aristoclis* nomen erat, ut notum est testimonio Alexandri ap. Laert. III, 4; *Ἀρίστυλλος* enim pro *Ἀριστοκλῆς* dici *ὑποκοριστικῶς* docet ex Herodiano Etymol. M. p. 142, 143, cll. Eustathio *ad Il.* ξ′, p. 489, 45. Et quidem vix dubitari potest, quominus Aristophanes h. v. exagitet amores Philosophi tanquam inhonestos et spurcos, de quibus videndus Athenaeus XIII, p. 589. C; Diog. L. III, 31; quod tamen attinet ad v. 994 sqq., quo loco item detexit acumen Bergkii Platonem respici, et quidem ita, ut hic etiam illius notentur libidines, donec V. D. apertius nos de sua docebit opinione, liceat eloqui quid ipsi sentiamus. Etenim, si locus hic ad Platonem referendus sit, videtur nobis Poeta eo non solummodo lacessivisse libidines Philosophi, sed etiam ipsam ejus *Νεφελοκοκκυγίαν* pupugisse. Decertat ibi juvenis cum anu:

ΝΕ. Ἀλλ' ὦ μέλ', ὀρροδῶ τὸν ἐραστήν σου.
(ΓΡ. Τίνα;
ΝΕ. Τὸν τῶν γραφέων ἄριστον. ΓΡ. Οὗτος δ'
(ἔστι τίς;
ΝΕ. Ὃς τοῖς νεκροῖσι ζωγραφεῖ τὰς ληκύθους.

«*Ληκύθους γράφειν*» accipiendum, nisi fallor, h. l. sensu figurato, ut ap. Cicer. *Epist. ad Att.* I, 14: «*totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo pingere, de flamma, de ferro (nosti illas ληκύθους), valde graviter pertexuit* [Crassus]». cll. Plin. *Epist.* I, 2: «*non tamen omnino Marci nostri ληκύθους fugimus*». De cujus dictionis natura non convenit inter homines doctos cum antiqui tum recentioris aevi (v. Henr. Steph. *Thes. L. Gr.* Ed. Didot. s. h. v. cll. Gesner. ad Plin. l. l. Ernesti *Clavis Cic.* s. v. etc.). Non multum fortasse errabimus, si metaphoram hanc primitus ductam esse suspicabimur a *lecythis sepulcralibus* (Aristoph. *Eccl.* 1030. et 538.), in plebeculae usum fabricari solitis. Tales enim lecythi cum vilioris fuerint pretii (Aristoph. *Ran.* v. 1236: *λήψει γὰρ ὀβολοῦ πάνυ καλήν τε κἀγαθήν*), videntur a sellulariis opificibus ita plerumque fuisse variegatae, ut pigmentorum potius versicolore ornatu splenderent, quae solent esse lenocinia puerorum et muliercularum (Plat. *Reip.* VIII, 557, C.), quam ab ingenua arte commendarentur. Quae fucata pingendi ratio translata est ad dicendi scribendique artificium, ut designarentur loci, ut ita dicam, communes, in quibus illuminandis verborum ambages aut strepitus, sententiarumque fastus ac fucus rependit argumenti ubertatem et gravitatem, na-

tivumque artis vigorem ([1]). Hoc nisi fallor sensu Callimachus tragoediam nuncupavit *Μοῦσαν ληκυθίαν*: *Schol. Heph.* p. 34. Gaisf. Idem videtur intellexisse Strab. XIII, p. 906. sq. (609.), de antiquioribus peripateticis loquens: *συνέβη .... οὐκ ἔχουσι τὰ βιβλία πλὴν ὀλίγων, καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν.* Frequenter enim apud utriusque sermonis auctores denotatur negotium scribendi vocabulis desumptis ab arte *pingendi*, aut *texendi* (Cf. Pap. *Lex. Gr.* s. v. *ποικίλλειν* et similib.), aut *tornandi* (Aristoph. *Thesm.* v. 52, sqq.), aut denique *fingendi*, plerumque in malam partem. Sic de Platone Timon Sillographus ap. Laert. III, 27: *Ὡς ἀνέπλασσε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς*, ludens, nisi fallor, in agnomine Philosophi. Nec dissimili modo Aristides *Or. II Plat.* p. 64, sq. Platonis politica scripta corripit: ... *ὦ δαιμόνιε καὶ πάντα σὺ θαυμαστὰ εὑρίσκων* (p. 107 extr. Cant.) .... *εἰπὲ πρὸς Διὸς τεραστίου, τί χρὴ περὶ τούτων ἡμᾶς νομίζειν;* ...

---

(1) Ad eandem quidem rem transfertur latinum *ampulla*, *amampullari* (Hor. *A. P.* v. 97; *Ep.* I, 3, 14.); sed ibi figurae potius ampullarum (scortearum?) ratio habetur, quae turgidae et inflatae quasi sunt, ad instar vesicae aut utris; haec autem vocabula proprie tumoris notionem exprimunt: Mart. IV, 49: «*a nostris procul est omnis vesica libellis: Musa nec insano syrmate nostra tumet*». Cf. Hor. *Sat.* II, 5, 98. Iuv. VII, 111. Ad eandem forte significationem referendum etiam *κομπολακεῖν* (*λάσκω*?) ap. Aristoph. *Ran.* v. 961, ex quo fabricatum videtur «*κομπολακύθου*» ap. Eund. *Acharn.* v. 589.

ῥητορεύεις καθ' ἕκαστον αὐτῶν [νόμων] σπουδῇ, καὶ τιμᾷς τὰ προοίμια, καὶ παραδείγματα διττὰ ὥσπερ οἱ πλάσται προστίθης; (p. 110 s. f. ubi v. Schol.). Itaque suspicamur etiam Aristophanem l. l. petivisse Platonem comparando eum cum *lecythorum pictore*. Quem jocum eo quidem promptius auditores intellexerint, quod et τοῦ ἀρίστου vocabulo alluditur ad nomen Platonis (Etymol. M. l. l. «Ἀρίστυλλος... Διογένης ἀντὶ τοῦ ἄριστος καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Τελμισεῦσι.), et maxime quod ipse Plato in nobili quodam Reipublicae loco disertissimis copiosissimisque verbis Philosophos dicit esse pictores, qui ad exemplar divinum civitatem, tanquam tabulam pictam, delineant conformantque: v. *Reip.* VI, p. 500 extr. sq. οὐκ ἄν ποτε ἄλλως εὐδαιμονήσειε πόλις, εἰ μὴ αὐτὴν διαγράψειαν οἱ τῷ θείῳ παραδείγματι χρώμενοι ζωγράφοι. ἀλλὰ δὴ τίνα λέγεις τὸν τρόπον διαγραφῆς; λαβόντες, ἦν δ' ἐγώ, ὥσπερ πίνακα πόλιν τε καὶ ἤθη ἀνθρώπων.... κ.τ.λ. Cf. VI, p. 484. C. D.

VIII.

Haec ita dicta nobis sunto de iis, propter quae negatum est a Viris doctis Platonem putandum esse in Ecclesiazusis produci. Quod enim Dr. Glypheus l. l. p. 27. sq. affirmat, Platonis

Politiam idcirco ab Aristophane ludibrio haberi non potuisse, «*dass Aristophanes und Platon in ihrer Ansicht von dorischen, genau der spartanischen Verfassung, welche dem Platonischen Staate als historische Grundlage dient, wesentlich übereinstimmen,* (Vergl. *Acharn.* 310. 514. mit *Polit.* VIII, p. 543. 544. 545.) *und auf der anderen Seite über die Zustände Athens ziemlich gleicher Ansicht sind* (*Frösche* 460. 652. u. *Polit.* VIII, p. 564 567),» id verbo indicasse pro re nostra nobis sufficit. Verum tamen vero ad Politiæ ætatem ex Ecclesiazusarum didascalia computandam non satis est probatum habere, in fabula hac ludificari commenta Platonis politica, quæ in libris ejus de Republica plerumque exponuntur. Etenim ut credamus Aristophanem in deridendis istis commentis ipsam Politiam sub oculis habuisse, necesse est tollatur præterea dubitatio Comicum poetam nusquam aliunde, quam ex eodem ipso Philosophi libro ea accipere potuisse. Nam sunt, qui de hoc dubitent.

Sic Schleiermacherus, non it quidem infitias, in Ecclesiazusis Platonica placita esse explosa; verum vero ea non ex *libris* Philosophi de Republica, qui nulli dum scilicet potuerint scribi, Aristophanem sibi comparasse arbitratur, sed ex *ore discipulorum*, tanquam illi videlicet, quæ a Magistro in schola audivissent, foras ea effutiverint. Cujus rei documentum in ipsa etiam Politia detexisse visus est sibi Vir sagacissimus. Etenim Plato sub initium libri quarti, disputatione de custodibus profligata, addit, hæc omnia instituta levia utique fore, si modo unum gravissimum servetur, nimirum institutio atque educatio; nam, inquit, si bene educati viri moderati evaserint, et hæc om-

nia, quae nempe hactenus jam sunt exposita, facile perspicient, καὶ ἄλλα γε ὅσα νῦν ἡμεῖς παραλείπομεν, τήν τε τῶν γυναικῶν κτῆσιν καὶ γάμων καὶ παιδοποιίας, ὅτι δεῖ ταῦτα κατὰ τὴν παροιμίαν πάντα ὅτι μάλιστα κοινὰ τῶν φίλων ποιεῖσθαι. Cf. *Reip.* IV, p. 423, extr. Quo consilio Plato injecerit h. l. mentionem eorum, quae nunc omittit, insequenti demum libro ea de industria persecuturus, optime ipse Schleiermacherus intellexit: «Dann aber, inquit in annotatione ad h. l. p. 550, liegt auch der Vorsatz im Hintergrunde, eben dieses Uebergangene hernach weiter zuerkunden und zu entwickeln»; sed audi quæ deinceps subjicit: «Doch glaube ich kaum, dass Platon einen so auffallenden und angefochtenen Punkt würde auf diese Art zuerst zur Sprache gebracht haben, wenn diese Theorie seinen Lesern etwas ganz neues gewesen wäre; die Natürlichkeit des Gesprächs wäre zu sehr verletzt worden, wenn die Theilnehmer über die erste Erwähnung eines so ungeheuern und ganz unbekannten so leicht hingegangen wären. Darum ist mir schon hieraus wahrscheinlich, dass über diese Theorie aus der Schule war ausgeschwatzt worden, und dass sie ziemlich allgemein bekannt war, vielleicht schon lange ehe Platon dieses Werk verfasste.»

Hæc ita Schleiermacherus. Responsum esto ei verbis doctissimi Rettigii *Prol. ad Remp.* p. 95 not., cum ipsi melius quid dicere nequeamus. «Sed cogitatur hæc: Quod si hæ res audientibus tam mirabiles visæ essent, quam videri debuisse vult Schleiermacherus, hoc ipso loco explicandæ fuerunt. Nam non fuerunt notæ in vulgus, cf. initium lib. V.; et si notæ fuissent, ideo non minus miræ, aliquatenus saltem explicandæ fuerunt. Itaque notæ non fuerunt. Sed suntne ista tam mirabilia per se? Παράδοξα tum demum videntur, si legerimus ea, quæ postea de iis afferuntur. Nam si Pythagoreorum proverbii, πάντα κοινὰ τῶν φίλων, si moris Spartanorum aliorumque memores simus, adeo mira videri non debent. Imo neminem qui hoc primo legat aut audiat, nec ea quæ deinceps his de rebus præcipiuntur cognita habeat, hoc loco hæsiturum esse affirmo. Nam tam diverso modo hæc accipi possunt, ut nemo facile cogitet Platonem ita hæc omnia communia dicere, ut communes sint omnium uxores, concubitus, liberi. Unusquisque enim hoc ὅτι δεῖ ταῦτα ὅτι μάλιστα κοινὰ τῶν φίλων ποιεῖσθαι ita accipiet, ut ὅτι μάλιστα explicet, «in quantum fieri possit maxime.» Distinctum autem nondum est, in quantum hoc fieri possit. Schleierm. igitur, quod in mente haberet quæ serius leguntur multum erravit, nec ullo fundamento nituntur quæ de divulgato jam antea hoc dogmate conjicit.» Hactenus Rettig. Sub initium vero libri quinti, p. 449, C, quo loco egregie comprobantur disputata a Rettigio, hæc legimus: Ἀποῤῥαθυμεῖν ἡμῖν δοκεῖς, ἔφη, καὶ εἶδος οὐ τὸ ἐλάχιστον ἐκκλέπτειν τοῦ λόγου, ἵνα μὴ διέλθῃς, καὶ λήσειν οἰηθῆναι εἰπὼν αὐτὸ φαύλως, ὡς ἄρα περὶ γυναικῶν τε καὶ παίδων παντὶ δῆλον, ὅτι κοινὰ τὰ τῶν φίλων ἔσται. Οὐκοῦν ὀρθῶς, ἔφην, ὦ Ἀδείμαντε; Ναί, ἦ δ᾽ ὅς. Ἀλλὰ τὸ ὀρθῶς τοῦτο, ὥσπερ τἄλλα λόγου δεῖται, τίς ὁ τρόπος τῆς κοινωνίας· πολλοὶ γὰρ ἂν γένοιντο (cf. Aristot. *Polit.* II, 5.). μὴ οὖν παρῇς ὅντινα σὺ

λέγεις. ὡς ἡμεῖς πάλαι περιμένομεν οἰόμενοί σέ που μνησθήσεσθαι παιδοποιίας τε πέρι πῶς παιδοποιήσονται, καὶ γενομένους πῶς θρέψουσι, καὶ ὅλην ταύτην ἣν λέγεις κοινωνίαν γυναικῶν τε καὶ παίδων. De quo loco Rettig. l. l. p. 143, not.: «Vides igitur supra factam earum rerum commemorationem minime talem fuisse, quæ lectorem de mulierum liberorumque communione, qualis apud Platonem infra describitur, cogitare cogeret.»

Sed quid, quod etiam eodem ipso Reipublicæ loco Schleiermacherus utitur ad suam opinionem comprobandam? Et vero Socrates urgentibus amicis ut communionem istam expediat, ita loquitur (p. 450, A.): «*Quid agitis, obsecro, qui me ita revocatis? quam gravem rursus, tanquam a principio disputationem de republica suscitatis! Nempe ego, quasi hanc jam peregissem, mecum ipse congratulatus sum, satis mihi esse factum existimans, si quis nunc dimoveat haec, accipiens ea ita, quemadmodum supra dixi. quae vos nunc exigentes nescitis quam frequens disputationum instigetis examen. quod ego tunc prospiciens, libens cessi ac praetermisi, ne crebro nos tumultu turbaret.* THR. *An convenisse huc hos arbitraris, o Socrates, ut aurum funderent potius quam ut sermones audirent?* SO. *Ut sermones audirent quidem, sed moderatos.* GL. *Modus certe et terminus horum sermonum audiendorum, o Socrates, omnis vita est viris prudentibus. Sed nos quidem mitte: tu vero ne graveris, si tibi videtur, ea. quae perquirimus, declarare* ..... SO. *Haud facile ex-*

plicari possunt haec. Plures enim hic quam in superioribus insunt ambiguitates. primo quidem, an fieri haec possint, dubitaretur. quin etiam si possit, utrum optima ista sint, et quomodo, dubitabitur. quapropter difficultas haec me dehortatur, verentem, ne votum quoddam et fictio esse mea haec oratio videatur. GL. *Ne pigeat, obsecro neque enim auditores habes ingratos vel incredulos vel malevolos.* SO. *O vir optime, ut exhorteris me, haec affers?* GL. *Nempe.* SO. *Contra facis omnino. nam si mecum ipse confiderem nosse ea, quae dico, recta esset haec consolatio. nempe tutum est et audendum, inter amicos prudentesque viros, vera quae quis cognoscit, de maximis pretiosisque rebus pronuntiare. cum diffidentia vero et ambiguitate verba facere, quemadmodum ipse facio, metuendum est et fallax: haud formidandum, inquam, ne risum audientibus moveam: nam puerile id quidem; sed ne a vero procul aberrans et ipse falsitati succumbam, et amicos mecum traham in ruinam, et in his una decipiamur, in quibus minime omnium errare conueniat.*» etc. Cf. p. 453, D; 457, E. Hunc ergo locum in animo habens Schleiermecherus sic disputat *Introd. ad Remp.* p. 32: «Was nun den ersten Abschnitt dieses Theiles, den von der Verbindung der Geschlechter anlangt, so scheint mir die Art wie sie eingeleitet wird, wie Sokrates sich sträubt und die Sache gern umgegangen wäre, gar nicht darauf zu deuten, dass er etwas aller Meinung zuwiderlaufendes und noch nie gehörtes hier zum erstenmal in das Gespräch der Leute bringen wolle; vielmehr finde ich darin die deutlichsten Spuren davon, dasse diese Lehre schon früher, natürlich aus seinen mündlichen Vorträgen und den Mittheilungen seiner Schüler, bekannt war und eine spötti-

sche Behandlung erfahren hatte; in welchem Falle dann Anspielungen der Komiker auf die Platonische Gemeinschaft der Weiber für die Zeit der Abfassung des vorliegenden Werkes nichts beweisen könnten.» Cll. Eod. p. 64.

At hæc Socratis tergiversatio et reluctatio pertinet ad a r t i f i c i u m, quo universa Politia egregie est concinnata. Cum enim callidissima arte Plato simulaverit, Operis finem esse positum in laudanda *j u s t i t i a e* præstantia, et non nisi ad hanc illustrandam de optimo *c i v i t a t i s* statu quæri (*Reip.* II, p. 368, C; sqq.): universos sermones ita moderatur, ut fingat Socratem invitum tanquam ad Rempublicam constituendam ab interlocutoribus trahi, cum ipse perpetuo de sola quasi justitia disserere velit; qua de re legendus est Rettig, imprimis p. 37, sqq. Hoc modo primum C i v i t a t i s n a s c e n t i s persequitur incrementa (II, p. 372, C, sq. = R e t t. p. 45.), tum de c u s t o d i b u s instituit disputationem (*Ibid.* p. 374, E, sq.); inde sermonem annectit de eorum e d u c a t i o n e (p. 376, C, sq.), et sic reliqua, donec paullatim perventum est ad istum periculosissimum locum de u x o r u m c o m m u n i o n e. Hic longior tergiversatio, hic vehementior timor, præsertim cum timorem istum non omnino confictum putare possimus. Nam, ut recte observat Rettig. p. 145. not., etiamsi Plato non habebat quo hæc παράδοξα refutaret, tamen fieri non potuit, quin veri quodam sensu a paradoxis istis deterreretur. Exantlata difficillima disputatione, patitur novam sibi Socrates ab Adimanto imponi necessitatem, ut de eo disserat, num hæc respublica f i e r i p o s s i t, aut si fiat, num u t i l i s fuerit. «*Subita quadam incursione*, inquit Socrates IV. p. 427 A,

sermonem meum iterum invasisti: neque mihi ignoscis militiae laboribus jam defesso: neque advertis forsitan, quod vix me duobus e fluctibus emergentem nunc in tertium retrudis pelagus profundissimum, quod postquam videris audierisque, dabis certe mihi veniam, cognoscens haud injuria extimuisse me sermonem adeo ab opinione hominum abhorrentem ingredi. GL. *Quo plura in hanc sententiam congeres, eo minus dimitteris a nobis, quominus ostendas, qua ratione fieri possit haec respublica.»* etc. «Jam plane satisfactum erat etiam huic desiderio audientium, tamen nunc novum sermonem ingreditur [p. 502, C.], explicaturus, quibus disciplinis ac studiis, quibus etiam ætatibus erudiendi sint οἱ σωτῆρες τῆς πολιτείας. hos quoque sermones, ut nivium moles de montibus præcipitantes majores semper moles secum trahunt, cum iis quæ ab ipso postulata erant, et quæ evitare voluerit, cohærere monens, eam ob causam, ut etiam in his, quæ aperte reipublicæ causa dicta sunt, ac ne postulata quidem erant, digressionibus uti videretur.» R e t t i g. p. 195, sq.— Iisdem fere verborum ambagibus, quibus usus est cum de mulieribus quæstionem substerfugeret, etiam disputationem de p h i l o s o p h i s ad civitatis gubernaculum acciendis circumivit, ita ut nisi hoc ex dialogi artificio explicetur, oporteat suspicari etiam id παράδοξον a Comicis poetis ante editam Politiam derisum fuisse: «*Ad id descendo equidem,* inquit Socrates *Ibid.* p. 475, C, sqq. *quod ingenti fluctui comparavimus. Dicetur igitur. quanquam suspicor ne effusiore incredulorum risu inundante penitus obruatur .... Hoc est, quod ego jam diu dicere vereor, quasi sit incredibile dictu nam haud facile persuadetur, nullam aliam gubernationem privatim vel publice futuram feli-*

cem. GL. *Ex hac tua oratione, o Socrates, existimo lacessitos plurimos, nec viles quidem homunculos, abjectis vestibus susceptisque undecunque contigerit, armis, impetum in te facturos, quasi ex hoc mira quaedam isti effecturi sint. quibus nisi oratione repugnaveris, eosque effugeris, plurimis conviciis laceratus dabis poenam.* SO. *An non tu horum mihi causa es? . . .*»

His perlectis quis, quæso, est, qui credet Schleiermachero, ex verbis Socratis perspicuum esse, jam pridem placita illa de mulieribus evulgata fuisse atque in scena explosa? Nihilo tamen minus Schleiermacherus, cum de hoc negotio in alia fuerit opinione, professus est eam fidenter etiam in *Introd. ad Gorgiam* (*Pl. Opp.* II, I, p. 20. 22.). In Gorgia scilicet putandus est Plato, Schleiermachero judice, sub Magistri persona propriæ causæ patronum agere; quod cur ita fecerit, audias Schleiermacherum. «Nehmlich wie in der Vertheidigung Socrates seine Ungunst selbst darstellt, als begonnen mit den Verläumdungen des Aristophanes und ähnlichen falschen Gerüchten von seinen Bestrebungen: so erfuhr etwas ähnliches auch Plato zeitig genug. Man erinnere sich nur wie in Ekklesiazusen des Aristophanes, deren Darstellung man gewöhnlich schon in die sieben und neunzigste Olympiade setzt, die politischen Ansichten und neuen Lehren des Platon durchgenommen wurden, so wird man leicht begreifen, wie dem Platon ein ähnlicher Erfolg wol kann geahnt haben.» Et aliquanto post: «Es würde demgemäss [Gorgias dialogus] zu setzen sein als das erste oder zweite nach Platons Rückkunft von seiner ersten Reise [nimirum prima

Syracusana via?], so bald nemlich irgend seine Schule so fest gegründet und so weit ausgebreitet war, um den Aristophanes zu einer komischen Darstellung zu reizen. Denn wenn nicht alle Nachrichten von dieser Reise falsch sind, so kann Platon sich vor derselben kaum eine eigentliche Schule gebildet haben.» At reversus est Plato ex hoc Siciliaco itinere post Olymp. XCVII, 4; Ecclesiazusae autem docta est, ut inter omnes convenit, ante hoc tempus. Quae repugnantia explanari quidem potest, si pro certo ostenderis Platonem condidisse scholam ante primum Syracusanum iter, postquam videlicet, ut supra asserebamus, primum ex exilio domum rediit; sed ipse Vir eximius hac de re dubitari jubet.

Neque etiam firmiori praesidio ad Schleiermacherianam rationem defendendam potest esse opinio Rötscheri (*Aristophanes u. sein Zeitalter*, Berlin 1827, p. 130.), qui suspicatur Aristophanem ex quotidiano cum Platone commercio atque familiaribus colloquiis surripuisse apud eum sua dogmata; quandoquidem abhorruerit id facinoris ab indole comici poetae rude jam donati, ut quae nondum publici facta essent juris, nec nisi inter parietes cum amicis communicarentur, ea aut populo deridenda propinaret, aut propria iis condiret fercula.

IX.

Si igitur ratum est Aristophanem in Ecclesiazusis suis Platonis risisse dogmata, et nihil tamen cogit, ut putemus Poetam ex-

cepisse ea ex ore sive ipsius Philosophi sive discipulorum ejus: quid, hercule, magis consentaneum, quam ut existimetur ille usus esse libro Platonico, qui videlicet jam tunc temporis consignatus fuerit atque in vulgus emissus ?

Sed quid, si nequaquam opus quidem esse aliquis objiciat, ut ipsa illa placita Praxagorae de reformanda republica, quibus tanta cum Politia intercedat similitudo, ad Platonem omnino referantur auctorem ? Etenim similitudo haec inde etiam nasci poterat, quod uterque, Plato nempe et Aristophanes, aliquod commune exemplar ante oculos haberent, quod scilicet exemplar alter eorum suo opere exprimere, alter vero ridere susciperet. Neque etiam diu nos circumspiciemus in communi illo similitudinis fonte inveniendo. Nam primum, tonsoribus et lippis notum est Philosophum nostrum plurimas civitatis suae partes descripsisse ad exemplar reipublicae Cretensis et Spartanae. At reliqui etiam Socratici ad *dorismum* erant proclivi; imo inter alios quoque cives non defuerunt, qui non solum laudarent et commendarent instituta Lacedaemoniorum, sed etiam inepte ea imitarentur. Quos Aristophanes saepius perstrinxit, veluti in *Avibus* v. 1280, ubi praeco ad Pisthetaerum: *Πρὶν γὰρ οἰκίσαι σε τήνδε τὴν πόλιν, Ἐλακωνομάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε, Ἐκόμων, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτουν, Σκυτάλι' ἐφόρουν*, κ. τ. λ. *Vesp.* 473, sqq. Notavit etiam Plato *Gorg.* p. 515 E, et praecipue *Protag.* p. 312, B: *οἱ μὲν [τῶν λακωνιζόντων] ὦτά τε κατάγνυνται μιμούμενοι αὐτούς, καὶ ἱμάντας περιειλίττονται καὶ φιλογυμναστοῦσι καὶ βραχέας ἀναβολὰς φοροῦσι, ὡς*

δὲ τούτοις κρατοῦντας τῶν Ἑλλήνων τοὺς Λακεδαιμονίους. Quod cum ita se habeat, in promptu est conclusio Aristophanem in fabula sua non Platonis Rempublicam traduxisse, quae nondum scilicet edi potuerit, quam potius salibus perfricuisse aut *dorizantes* istos Socraticos philosophos, aut insanum *laconizantium* studium. Pro laconizantibus stat Stallbaumius, pro philosophis vero fuit Astius (¹); utraque tamen opinio in idem fere decurrere videtur. Committamus ergo comparemusque, ut jam a Morgensternio est factum, Praxagorae scita cum placitis Philosophi, atque tum videamus, num inter ea haud alia intercedat similitudo, quam quae ex communi cum Spartanorum institutis necessitudine satis explicari possit.

(¹) *Plat. Leb. u. Schr.* p. 348: «Doch erwägen wir, dass die strengeren sokratischen Philosophen, die im Gegensatze zu den Hedonikern standen, insgesammt zum Dorismus sich hinneigten, und dass im Lycurgischen Prinzipe von der Gleichmässigkeit in Rücksicht der Güter, der Erziehung, der Lebensweise, u. s. w. schon die Idee der politischen Einheit Gleichheit und Gemeinschaft des Lebens enthalten war, so ist es wahrscheinlicher, dass Aristophanes, als athenäischer, also antidorischer Komiker, die von den Sokratikern mündlich oder schriftlich verbreiteten Grundsätze, die ihm einen reichhaltigen Stoff zur Verspottung der philosophischen Politiker und zur Belustigung des antispartanischen Volkes darboten, im Allgemeinen durchzog, ohne die Pfeile seines Witzes auf einen besonderen Philosophen hinzurichten. Allerdings konnte Platon der vornehmste Urheber dieser politichen Ideen gewesen seyn, sey es nun, dass er sie selbst durch seine Vorträge bekannt gemacht, oder dass einer seiner Schüler sie verbreitet hatte.» Cf. p. 349, sq.; p. 434; Schleierm. *Annott. ad Gorg.* T. II, I, p. 471, sq.

Bonorum, quam vocant, **communio** a Praxagora introducta (vv. 590—610), eadem prorsus est, quam custodibus suis Plato praescribit. Utrobique enim nihil proprii conceditur: terra, ταμεῖα et domicilia omnibus communia; pecunia omnino exacta; quae autem ad victum sunt necessaria, ea Praxagora a mulieribus suppeditari jubet, Plato vero custodes vult a reliquarum classium civibus vesci (*Reip.* III, p. 416, D, sq; cll. IV initio; V, p. 464, B, C; VIII, 543, B, C; *Tim.* p. 18, B.). Hacce ratione, praedicat sapientissima mulier, sublatum iri e civitate duo perniciosissima mala: divitias et penuriam (v. 588 sqq.); quam vim Plato quoque instituto suo tribuit (IV, p. 421 extr.). Quae inde bona proventura sperat Philosophus (V, p. 464, D. E; 465, C.), haec etiam ludificatur comicus poeta vr. 655, sqq. Videamus nunc num ista Praxagorae innovatio ex Spartanorum republica apte repeti possit.

Fuit quidem certe apud Spartanos ex instituto Lycurgi non solum aequalitas agrorum, sed etiam certum quoddam communionis bonorum genus; de qua re ipse exposuit Morgensternius, laudans praeter alia Xenoph. *Rep. Lac.* p. 681, E; 682, A. B; Aristot. *Polit.* II, 5; Plutarch. *Inst. Lac.* p. 238, E. Cum tamen plurima communionis genera esse possint (Aristot. l. l. Plat. *Reip.* V, 449, C.), operae pretium est quaerere, num apud Spartanos bona eodem modo fuerint communia, quo in Ecclesiazusis sancitum est. Evolvamus Aristotelem. Hic postquam Platonicam communionem idonea ratione carere judicavit, sic disserit (*Polit.* l. l. p. 402, C.): τὸ μὲν οὖν κοινὰς εἶναι τὰς κτήσεις, ταύτας τε καὶ ἄλλας τοιαύτας

ἔχει δυσχερείας. ὃν δὲ νῦν τρόπον ἔχει, καὶ ἐπικοσμηθὲν ἤθεσι καὶ τάξει νόμων ὀρθῶν, οὐ μικρὸν ἂν διενέγκοι. ἕξει γὰρ τὸ ἐξ ἀμφοτέρων ἀγαθόν· λέγω δὲ τὸ ἐξ ἀμφοτέρων τὸ ἐκ τοῦ κοινὰς εἶναι τὰς κτήσεις, καὶ τὸ ἐκ τοῦ ἰδίας ..... ἔστι δὲ καὶ νῦν τὸν τρόπον τοῦτον ἐν ἐνίαις πόλεσιν οὕτως ἀπογεγραμμένον, ὡς οὐκ ἂν ἀδύνατον, καὶ μάλιστα ἐν ταῖς καλῶς οἰκουμέναις, τὰ μέν ἐστι, τὰ δὲ γένοιτ᾽ ἄν· ἰδίαν γὰρ ἕκαστος τὴν κτῆσιν ἔχων, τὰ μὲν χρήσιμα ποιεῖ τοῖς φίλοις, τοῖς δὲ χρῆται ὡς κοινοῖς. οἷον καὶ ἐν Λακεδαίμονι, τοῖς δὲ δούλοις χρῶνται τοῖς ἀλλήλων ὡς εἰπεῖν ἰδίοις· ἔτι δὲ ἵπποις καὶ κυσὶ· κἂν δεηθῶσιν ἐν τοῖς ἀγροῖς κατὰ τὴν χώραν. φανερὸν τοίνυν ὅτι βέλτιον εἶναι ἰδίας τὰς κτήσεις, τῇ δὲ χρήσει ποιεῖν κοινάς. cf. *ibid.* p. 403 extr. De quo instituto explicatius Xenoph. *Lac. Rep.* VI, 3. 4: «*Sanxit etiam* [Lycurgus], *ut famulis, si eorum opera quis egeat, alienis uti liceat: adjuncto venaticorum quoque canum communi usu. Itaque si qui canibus egent, ad venationem alios invitant; ac si cui non sit otium, lubenter canes concedit. Itidem utuntur et equis. Nam qui aeger est, aut vehiculo indiget, vel celeriter aliquo pergere cupit, sicubi equum videat, eum sumit; ac posteaquam illo recte usus est, restituit.*» Cujus moris meminit etiam Plutarchus *Inst. Lac.* p. 238, E: «*Vicinorum servis, itemque canibus et equis, nisi domini usu eorum indigerent, uti licebat tanquam propriis.*

sed et rure si quis aliqua re opus haberet, aperto ***vicini*** *penu inde necessaria auferebat,* ***penuque obsignato*** *relinquebat.»* Ex his itaque satis elucet, apud Spartanos res quidem unicuique proprias fuisse, ita ut nonnisi **nonnullarum possessionum** usus, in **quibusdam occasionibus**, idque **certa sub conditione**, communis omnibus concederetur. Sicuti ex. gr. apud nos, ubi venatio, piscatio, silvae, atque etiam in quibusdam provinciis agri, et nonnulla alia, uni cuique prostent libera, cum alibi eorum usus certis legibus sit constitutus. Quod prorsus differt a Platonica civitate, ubi non solum regio sedesque civium aequis partibus divisae sunt, sed etiam **nullum** omnino peculium custodibus relinquitur, et **omnes** res pariter cum omnibus communicantur (¹).

Jam vero si Comici lusus ad perpendiculum exigendi sint, in hoc videatur alicui propius Praxagorae constitutio ad Spartanos quam ad Platonem accedere, quod agros colere mulier **servos** jubet (v. 651); quod suo tempore apud Lacedemonios factitari coeptum esse docet **Aristot.** l. l. p. 404, B. cll. **Plutarch.** *Lycurg.* c. 24. Attamen apud Platonem etiam ab agris colendis ceterisque illiberalibus negotiis exempti sunt aurei illi et olympionici custodes, cum earum rerum cura in Politia

(¹) **Cicer.** *de Rep.* IV. ap. **Nonium** s. v. *Proprium* p. 689 Gothofr.: «***Et noster Plato magis etiam, quam Lycurgus,*** *omnia prorsus jubet esse communia, ne quis civis propriam aut suam rem ullam queat dicere:»* cf. K. O. **Müller**, *Dorier.* Breslau 1824. II, p. 191.

reliquarum classium civibus committatur, in Legibus autem expresse in servos agricultura imponatur (*Legg.* VII, p. 806, C.).

Syssitiorum quoque institutum — sic enim communes civium commissationes Poeta appellat v. 715, qua voce usus est etiam Philosophus—hoc etiam, inquam, institutum multo magis refert Platonicam civitatem, quam Spartanam. Etenim Lacedaemone singuli cives quisque suam symbolam ad epulas contulit, quod vituperatur ab **Aristotele** *Polit.* II, 9, cll. **Hermanno**: *De vestigiis institutorum veterum in Platonis Legibus.* Marb. 1836, p. 28, sq.; **Müller.** *Dorier.* T. II, p. 201, sq.; Plato autem praetulit morem Cretensium, ut nempe milites, sicut communibus domiciliis utuntur, sic etiam impensis **communibus** victitent: *Polit.* III, p. 416, E: φοιτῶντας δὲ εἰς ξυσσίτια .... κοινῇ ζῆν. cll. V, p. 458, D; *Legg.* VIII, p. 842, B. et p. 847, E sqq. At id ipsum etiam ab Aristophane retentum videmus v. 673, sqq. Sed in convivis istis Praxagora jubet pueros pro rostris **canere laudes** (ῥαψῳδεῖν) fortium virorum: v. 678; quod cum in Platonica Civitate non inveniatur, placuerit fortasse alicui etiam hoc revocare ad morem doricum (de *Lyctiis* v. Dosiad. ap. **Athen.** IV, p. 143, D; de *Spartanis* **Plut.** *Lyc.* 14. 21; **Xenoph.** *R. Sp.* V, 6; Didym. ap. **Athen.** IV, p. 139. E.). Verum tamen vero tantum abest ut id rei contra nostram sententiam produci possit, ut etiam pro ea loqui videatur. Nam cum in Atheniensium civitate, ad muliercularum arbitrium reformata, nullae amplius occurant lites (v. 655. sqq.) — qua in re videlicet lepidissima mulier gesticulatur Platonis Politiam V, p. 464, D, sqq. cll. III, p. 405,

A.—omnes porticus et tribunalia in coenacula mutantur; quaerente vero Blepyro ad quid fuerit utilis lapis judicialis (¹), respondet Praxagora se impositurum esse super illum crateras convivales atque aquales; quo tamen magis etiam in ridiculum vertat rem Atheniensibus carisimam, adjicit, se alii praeterea usui cathedram hanc destinavisse: nempe proferentur ex ea sententiae de meritis civium, ut qui fortiter pugnaverint, laudibus extollantur, sin vero quis imbellem se praestiterit, prae pudore impransus, abeat non curato genio. Sic etiam v. 665 contumeliae mulctas jubet irrogari detracta reo maza. Encomiorum hacce mentione videatur alicui Poeta respexisse ad Platonem *Reip.* X, p. 607, A, cll. *Legg.* VII, p. 801, E sqq; VIII, 829, C: sed hoc fuerit jam tralaticium; sponte enim jocus hic succurrere potuit, idque eo facilius, quod eodem τοῦ βήματος vocabulo designabatur etiam pulpitum, unde rhapsodi etc. sua carmina recitabant: v. Ipp. ad Plat. *Ion.* p. 535, E; neminem autem fugit morem in epulis canendi per totam antiquitatem, inde jam ab Homerico aevo, frequentatissimum fuisse: v. Hom. *Od.* VI, 325, sq; VIII, 98; XVII, 270; *Il.* I, 604; *Hymn in Merc.* 480. Athen. XIV, p. 627, E; cll. Koester. *De cantilenis popularibus veterum Graec.* Berol. 1831. p. 65, sqq. add. Aristoph.

(¹) Βῆμα h. l. vix esse potest, ut vulgo interpretantur, *tribunal*, quod Glypheus vertit *Richtstuhl;* sed, nisi fallor, est suggestus, seu lapis (Schol. ad h. v: βῆμα: ὁ λίθος ἐν τῷ δικαστηρίῳ cll. *Pluti* v. 382.) ubi causidici orabant: cf. Aristoph. *Acharn.* v. 683; quem perperam confundit Scholiasta cum rostris in pnyce, quorum mentio ap. Eund. *Eccl.* v. 87; *Pac.* v. 680; cll. Plutarch. *Them.* 19, et passim alibi.

Nub. v. 1349 sqq. c. Schol.; Anaxandrid. ap. Athen. IV, p. 131, C. cett. Cf. Plat. *Tim.* p. 21. B sq.

Aristophanes cum promiscuos civibus suis permittat concubitus (v. 611 sqq.) in hoc etiam expressit Platonem, qui in quinto Politiae libro militibus communes dat uxores. Quod autem connubii leges ad salacium muliercularum arbitrium prolatae, differunt a Platonicis praeceptis ad conjugia coeunda pertinentibus (¹), id mirum esse non potest: quandoquidem poeta, comicae indulgens venae, id praecipue consuluit, ne μηδεμιᾶς ᾖ τρύπημα κενόν (v. 624); Platoni vero maximae fuit curae ἐξ ἀγαθῶν ἀμείνους καὶ ἐξ ὠφελίμων ὠφελιμωτέρους ἀεὶ τοὺς ἐκγόνους γίγνεσθαι (*Reip.* V. p. 461, A; cll. *Legg.* VI, 773, B.). Novicia haec connubii ratio injicit scrupulum Blepyro. «*Quomodo igitur*, quaerit ille v. 635 sqq. *nobis sic viventibus unus quisque liberos suos dignoscere poterit?*» — «*Quid opus est*, respondet Praxagora, *quippe suos patres existimabunt eos omnes esse qui aetate provectiores erunt*». At cuinam non revocent haec in mentem Platonica illa in *Reip.* V. p. 461, D. E. «*Haec quoque*, inquit Glauco, *probe dicuntur. Patres vero et matres et ceteri cognati, quos memorabas, quomodo invicem discernentur?* SO. *Nullo modo: sed omnes quicunque nascetur decimo mense vel septimo ex ea die, qua quis liberis*

(¹) Ast. *Pl. Schr.* p. 349, not.: «Auffallend ist ferner die Verschiedenheit der die Weiber betreffenden Gesetze b. Aristoph. v. 624. 1007 [1005] und b. Platon Polit. v. 459. E. [p. 460, B.].»

operam dedit, masculi ab hoc filii, feminae filiae nominabuntur. nati autem eum patrem vocabunt» . . . . . etc. Aliquanto vero post Socrates ita loquitur, p. 464, E sq.: *«Quin neque de vi illata usquam contendetur. nempe asseremus honestum et aequum esse, ut aequalibus aequales succurrant, tutandis corporibus necessitatem imponentes . . . . . Constat praeterea, quod junior in seniorem, nisi jussu principum, saeviet nunquam, neque caedere audebit, ut decens est neque ignominia ulla afficere. metus nempe et pudor custodes sunt ad haec prohibenda sufficientes. pudor quidem non permittet eos, quos parentes suspicatur violare: metus autem ab injuria absterrebit, timentem scilicet ne ceteri omnes partim ut filiis, partim ut fratres, partim ut patres patienti succurrant.* Haec quoque Philosophi verba risisse videtur Aristophanes v. 639 sq., ubi Blepyrus:

Οὐκοῦν ἄγξουσ', εὖ καὶ χρηστῶς ἑξῆς τὸν πάντα
(γέροντα
δια τὴν ἄγνοιαν, ἐπεὶ καὶ νῦν γιγνώσκοντες πα-
(τέρ' ὄντα
ἄγχουσι. Τί δῆθ', ὅταν ἀγνὼς ᾖ, πῶς οὐ τότε
(κἀπιχεσοῦνται;
ΠΡ. Ἀλλ' ὁ παρεστὼς οὐκ ἐπιτρέψει· τότε δ' αὐ-
(τοῖς οὐκ ἔμελ' οὐδὲν
τῶν ἀλλοτρίων, ὅστις τύπτοι· νῦν δ' ἢν πληγέν-
(τος ἀκούσῃ,
μὴ αὐτὸν ἐκεῖνον τύπτῃ δεδιώς, τοῖς δρῶσιν
(τοῦτο μαχεῖται.

Qua occasione sugillatur etiam Plato sub Aristylli nomine v. 644—650. Et potest sane adolescens duodequadragenarius, quali aetate tunc erat Plato, accipi pro filio Blepyri, qui se ipse profitetur senem vv. 323. 465.

Cum hae itaque Aristophanis de mulieribus et liberis facetiae simillimae sint iis, quae apud Platonem de eodem instituto disputantur, non lubenter equidem assentiar Stallbaumio, ea ipsis Spartanorum institutis esse multo etiam similiora. Constat quidem hodie testimonio Polybii (*Exc.* I. XII, c. 6 in A. Maji *Scriptt. vett.* e codd. Vatt. T. II, p. 384. extr.) patrium fuisse Spartanis, ut tres aut quattuor, nonnunquam etiam plures mares unam haberent uxorem, eorumque liberi essent communes; sed hoc non nisi inter fratres usu venisse dicit idem Polybius: eo videlicet consilio, ne res familiaris dispesceretur (Hermann. *Gr. Alterth.* §. 47. n. 2.). Imo cum hoc maxime proprium fuisset Lycurgo, ut privata commoda postponeret saluti rei publicae, jussit ille etiam jugalis lectus violari aliquando sanctimoniam, ut modo civitas augeretur bona prole. Cf. Müller. *Dorier.* II, p. 285. Sic diutius absentes cives veriti, ne deficerent stirpe, miserunt alios vice sua ad uxores Lacedaemone relictas (Ephor. ap. Strab. p. 427, extr. 428, Eustath. *ad Dion. Per.* 164; Just: III, 4. cll. Theopomp. ap. Athen. VI, p. 271, D.): sic senioribus licuit ad maritalia officia rite exsequenda robustiorum celetum ope uti; eodem pacto permissum fuit, si propria videlicet mulier minus esset idonea, aut aliam ducere (Her. V, 39; VI, 61.), aut exposcere sibi ad suscipiendam prolem uxorem alienam, quae esset εὔτεκνος

et σώφρων (Morgenst. l. l. p. 308, sq.; Müller. l. l. p. 199. Becker. *Charicl.* T. II. p. 439, sqq.); nihilo tamen minus conjugia stabilia erant ac perennia (Plut. *Comp. Lyc. c. Numa* c. 3.), quod in Platonis atque Aristophanis civitate omnino desideratur. Neque id impediebat, quominus conjugalis pudicitiae leges severissime observari possent (Plut. *V. Lyc.* 15; Id. *Lac. apophth.* p. 228. cll. Müller. l. l. p. 285; contra Limbourg Brouwer, *Histoire de la civilisation des Grecs*, Groningae, 1838, II, IV, p. 163, sqq., 167 fin. severius pronunciat de castitate Lacaenarum). Et quidem Lysander multatus est ab ephoris, quod repudiata priore uxore aliam [vulgo ἑτέραν; AC: ἑταίραν.] formosiorem ducere voluisset (Athen. XIII, p. 555, C.); neque Agis aequo tulit animo, quod Alcibiades, quamvis Graecorum facile pulcherrimus, ipsius adulteravit uxorem (Plut. *Agesil.* c. 3.). Igitur multo etiam minus apud Spartanos obtinebat, ut cives nequirent, quod apud Platonem atque Aristophanem vidimus, propriam nominare progeniem, aut etiam, tametsi re quidem vera eorum τέκνωσιν cum aliis nonnunquam communicabant, ut dubitarent de liberis, quos uxores suae pepererint, utrum ipsorum essent, necne, quemadmodum Ariston ille rex ap. Her. VI, 63.

Itaque vel inde jam apparet, matrimoniorum istam libertatem, ex Lycurgi instituto Spartanis sive praescriptam sive potius concessam, referendam videri ad illud communionis genus, cui etiam rei familiaris pactum adscripsimus: non est videlicet absoluta illa et perfecta κοινωνία, qualem Philosophus introducit quamque perstringit Aristophanes; sed talis modo, ut

unusquisque proprio gaudeat peculio, quamquam usuram hujus peculii aliis etiam civibus, certo consilio certaque sub conditione, nonnunquam concedere debet. Neque multum quidem interest, quod Aristophanes istam communionem per omnes civium ordines regnantem instituit, cum Plato solis militibus sive custodibus eam praescripsit: quandoquidem comicus poeta non id egit, ut Atheniensium rempublicam pressius ad Platonicum exemplar describeret; sed ad eam scilicet sanandam dum nonnulla scita Philosophi adhibet, et Atheniensium eo perstringit corruptelam, et simul etiam Platonis cavillatur paradoxa.

In tanta ergo Ecclesiazusarum similitudine cum Politia non verear equidem ex eodem fonte repetere etiam γυναικοκρατίαν illam, quam Praxagora machinata est. Plato nimirum jubet mulieres non solummodo eadem cum viris conditione educari, sed etiam in civitatis communionem eas admittit (*Reip.* V. p. 460, B; 456, A; VII. p. 540, C; cll. *Tim.* p. 18, D.). Aristophanes igitur, ut altera ex parte politicas videlicet mulierum ostendat virtutes, ex altera vero ut ludicro lepidum addat cumulum, praeceptum illud ita contorquet, ut civitatis gubernaculum solis mulieribus tradat. Quo enim magis, inquit, inaudita ac monstruosa fuerint inventa, eo certior ex iis reipublicae expectanda salus: v. 473

λόγος γέ τοί τις ἔστι τῶν γεραιτέρων,
ὅσ᾽ ἂν ἀνόητ᾽ ἢ μῶρα βουλευσώμεθα,
ἅπαντ᾽ ἐπὶ τὸ βέλτιον ἡμῖν ξυμφέρειν.

cf. v. 877 sqq. Quin etiam verbis Comici v. 435, sqq.: «τὰς μὲν γυναῖκας πολλὰ ἀγαθὰ λέγων» etc. respicitur

fortasse *Reip.* V. p. 455 sq., ubi disputatur de eo, quod mulierum natura neutiquam cedit virili indoli.

X.

Hacce collatione reipublicae Praxagorae sollertia reformatae, cum institutis Lycurgi atque Platonica civitate id saltem lucrari nobis videmur, ut admodum ambigua esse responsio existimetur, quemnam respublica ista magis referat, Lycurgumne an potius Platonem. Quin immo si poeta id modo consilii intendisset, ut data opera traduceret ridiculum illud studium imitandi Spartanos, multo quidem tunc alia, quantum pro tenui minerva nostra augurari liceat, foret tota fabulae conceptio atque compositio, vel, ut rectius dicam, prorsus alia esset fabula, quam ea est, qua hodie delectamur. Neque enim satis competunt ad comprobandam Stallbaumii sententiam loci illi fabulae, in quibus, ut asserit Vir illustrissimus, Laconum mores claris verbis memorantur. In istis versibus fabulae, quos indicavit Vir doctissimus, et in aliis etiam, agitur, primum, de artificiis, ad quae confugiunt mulierculae, ut induant cultum virorum, et quidem, quo videlicet magis etiam removeant suspicionem fraudis, senum agrestium, ut luculenter patet ex v. 378. sqq. cll. vv. 300. 432. Assuerunt ergo barbas, atque promiserunt alas (μασχάλας, v. 60.), et, ut magis sexum mentirentur, diutius, oleo

perunctae, apricabantur (v. 63; cll. 385, sqq.). At notum est vel ex nostro poeta (Cf. Becker *Charikl.* T. II. p, 387, sqq.), Athenienses omnes, nisi molliculis effeminatisque exceptis, barbas aluisse; et si forte apud Laconomanes promissiores illae fuissent, nihilo tamen minus eae agrestium senum habitui egregie conveniunt. Jubet praeterea Praxagora commilitones suas succingere chitonia ac denudare (ἐξωμίσαι v. 367.) alterum brachium, nempe, ne mulieres ex inferiore vestimento cognoscantur (Cf. v. sqq.), quando manus in concione extendendae erunt (cf. Schol. ad. v. 60.), tum fortasse etiam propterea, quod ἑτερομασχάλῳ (ἐξωμίς) nec non succincto chitone utebantur homines agrestes illiberalisque conditionis (v. Becker. l. l. p. 312 sqq.), nempe tales fere, qualium personam conjuratae mulieres induerunt.

Deinde vv. 74. 269. 508 commemorantur Laconici calcei, λακωνικαί, quos ex pacto Conjuratae comparare sibi debebant. Hoc genus calceamenti initio quidem fortasse non nisi inter elegantiores urbanosque usitatum erat, cum hominibus durioris naturae et misolaconis religio esset commutare antiquas soleas cum candidis peronibus spartanis, quamvis commodissimis (v. Arist. *Vesp.* v. 1159. cll. Critia ap. Athen. XI. p. 483, B; Schol. *Ar. Vesp.* v. 1158; Athen. V, p. 215, C.). Posterioribus tamen temporibus Laconicae in communi ac promiscuo usu fuisse videntur: cf. Aristoph. *Thesmoph.* v. 141. Atque etiam Praxagorae maritus, homo operarius et rusticus, in quo nemo facile laconomaniam suspicabitur, laconicis utitur caligis: v. 345, 544. Itidem reliquarum conjuratarum

viri, omnes ex infima plebecula, laconicas gestabant, siquidem ab iis mulieres surripuerunt totum vestimentum, quo sexum ementitae sunt. Non minus frequens fuit etiam baculorum usus: Becker. *Charicl.* I, p. 394. Eo magis licuit adhibere ea, salva atticismi fide, senibus, quales imitari voluerunt Concionatrices. Sic *Vesparum* chorus armatus est scipionibus v. 727, non solummodo, credo, propter expugnandum socium. Neque secus chorus *Pluti* v. 272. cll. *Acharn.* 682 et Schol. *Vesp.* v. 32. Spartani vero, ut hoc obiter addam, inde jam a Lycurgi temporibus, *φέρειν βακτηρίαν ἐκκλησιάζοντες ἀπέμαθον*, ut docet Plut. *Lyc.* XI extr.

Itaque in omnibus his locis nihil, e nostra quidem sentententia, tale quid occurrit, quod laconomaniam omnino denotet, neque ex fictitio personatorum concionatorum habitu commode explicari possit. Quod etiam dicendum est de vv. 530. 564, a Stallbaumio indicatis. Quod enim fortissima mulier cum marito contumacius decertat, id supervacaneum foret repetere ex eo, quod Praxagora imitetur decantatam illam Lacaenarum protervitatem et dissolutionem. Simplicior est ratio, quod Blepyrus senex jam duxit uxorem, ut ipse conqueritur v. 523. Imo Atheniensium matronarum dissolutio, a Poeta in hac fabula et in aliis data opera exagitata, quae non multum fortasse cedebat Lacaenarum petulantiae, autochthon videtur fuisse atque indigena. Hanc enim una cum alio elegantiori proventu sponte pullulasse postquam semel antiqui pessumdati sunt mores, quis, hercle, negabit?

Accedamus ad ultimum Stallbaumianae sententiae caput. «Denique», inquit Vir clarissimus, «non est negligendum, quod Plato ipse libr. V. p. 452. B. C. et p. 457, A. B. memorat poetarum comicorum dicteria in Spartanorum mores et instituta conjecta. Quibus verbis etiamsi non conjiciam eum Aristophanis jocos tetigisse [Cf. Ast. l. l. p. 349.], tamen illud certe effici potest, ejusmodi decreta, qualia a Platone in Politia exposita sunt, jam ante editos hos sermones a poetis comicis in scena irrisa fuisse.» Hactenus Stallbaumius. Age, inspiciamus ipsa Platonis verba. *Τί*, quaerit Socrates ex interlocutore suo, *γελοιότατον αὐτῶν ὁρᾷς. ἢ δῆλα δή, ὅτι γυμνὰς τὰς γυναῖκας ἐν ταῖς παλαίστραις γυμναζομένας μετὰ τῶν ἀνδρῶν, οὐ μόνον τὰς νέας, ἀλλὰ καὶ ἤδη τὰς πρεσβυτέρας, ὥσπερ τοὺς γέροντας ἐν τοῖς γυμνασίοις, ὅταν ῥυσοὶ καὶ μὴ ἡδεῖς τὴν ὄψιν ὅμως φιλογυμναστῶσι; Νὴ τὸν Δία, ἔφη, γελοῖον γὰρ ἄν, ὥς γε ἐν τῷ παρεστῶτι, φανείη.* Ridiculum igitur fore dicit Socrates, quod mulieres, et quidem, provectiores etiam, una cum viris exercentur; hoc tamen, Lacedaemone non ita fuit: v. Müller. l. l. p. 261, sq. Becker. l. l. I, 320, sq. p. 326, sq. cll. Hermann. *Gr. Alterth.* § 26. u 18. ([1]). Apud Spartanos non nisi virgines palaestris obnoxias fuisse, luculenter discimus ex Plat. *Legg.* VII, p.

([1]) Quae Plato de mulieribus praecipit, iis similiora jam sunt Tyrrhenorum potius instituta quam Spartanorum: v. Theopomp. ap. Athen XII, p. 517, D.

806: .... ἢ τὸ τούτων δὴ διὰ μέσου φῶμεν, ὦ Μέγιλλε, τὸ λακωνικόν; κόρας μὲν γυμνασίων μετόχους οὔσας ἅμα καὶ μουσικῆς δεῖν ζῆν, γυναῖκας δὲ ἀργοὺς μὲν ταλασίας, ἀσκητικὸν δέ τινα βίον καὶ οὐδαμῶς φαῦλον οὐδ' εὐτελῆ διαπλέκειν. κ.τ.λ. Vetulas in palaestris nudari atque simul cum junioribus sicca membra quatere, ita sane indecorum ac ridiculum visum iri optime intellexit Plato, ut ne tunc quidem opus esset cogitare de jocis poetarum comicorum in hanc rem quasi jam antea fusis, si res haec ubi ubi in more esset. Et fortasse Noster ultimis verbis respexit Xenophontis *Conviv.* II, 16, sqq.

Quaerit deinde in altero loco Socrates, num forte id ridebitur, quod mulieribus suis praescribit ille τὴν τῶν ὅπλων σχέσιν καὶ ἵππων ὀχήσεις; at Spartanorum mulieres ab armorum tractatione nec non ab equitatu exemptae fuerunt: cf. *Legg.* VII, p. 804; Becker. l. l. p. 320. Si necesse fuerit hac etiam in re comicorum poetarum derisiones suspicari, dixeris alludere Philosophum ad tales, quae huc spectarent, de mulieribus facetias, quales ex. gr. Aristophanes fecit in *Lysistrata* v. 676 sqq. atque alibi etiam. At etiamsi locos istos Platonis ita accipere lubuerit, ut Stallbaumius vult, sequeretur quidem inde quaedam Spartanorum instituta, a quibusdam poetis, nescio quo *tempore* et quo *consilio*, in scena fuisse derisa; nihilo tamen magis viderem, quid hoc ad opinionem nostram impugnandam attulerit praesidii.

Itaque ergo necessitudo, quae Ecclesiazusis cum Politia in-

tercedat, multo quidem, quantum sapiamus, est major, quam quae ex communi utriusque operis cum Spartanorum institutis affinitate explicari commode possit; adeo ut non verear pronunciare, Praxagorae scita eatenus tantummodo Lycurgeae civitati esse similia, quatenus hanc similitudinem per Platonis Politiam sibi contraxerint. Sed quid multa? Concedamus primarium fabulae consilium positum esse in taxanda Atheniensium laconomania ([1]); attamen quid ni Plato quoque cum suis asseclis in laconomanôn decuriam ab Aristophane referri potuerit, atque eo nomine Civitas ejus in scena illudi? Quinimo ipsum hoc consilium exagitandi de industria Atheniensium laconizantes potuerat Aristophanes tum demum suscipere, quando primum apparuerat novum illud inauditumque Platonicae civitatis μηχάνημα.

Novam dixi atque inauditam fuisse hanc civitatem. Non

([1]) «....Diese Sonderbarkeit liefert dem Komiker den Stoff zu vielfachem Spotte; allein es hiesse den Ernst des Dichters ganz verkennen, wenn man ihm die Verspottung einer an sich schon lächerlichen Mode als Hauptabsicht eines Drama's unterlegen wollte; eines Drama's, dessen Entwickelung auf die so allgemeine und tiefe Entsittlichung des Volkes hinausläüft.» Sic pronunciat Glypheus, l. l. p. 28, sq. Non est nostrae quaestionis inquirere in consilium et finem Fabulae quae tota antiqua est et politica; non nostrae—ostendere artificium, quo Aristophanes cum primario illo consilio conjunxerit derisionem Philosophi; hoc unum addam, id generis argumenta haud numquam in scena fuisse tractata a poetis etiam antiquae comoediae; quod viderit Glypheus vel ex eodem loco Platonii Π. διαφ. κωμῳδιῶν, cujus initium ipse exscripsit l. l. p. 28.

enim possum a me impetrare, ut pedibus eam in sententiam Fr. Vateri, praeceptoris carissimi, qui tribuit fidem Phavorino ap. Laert. III, 57, tradenti, annuente Aristoxeno ap. eund. 37, totam fere Platonicam civitatem apud Protagoram inveniri in *Contradictionibus:* v. Vater. *Rer. Andoc. Part.* II. p. 198, sq. Quod Platonicae politiae πρωτότυπον cum ab Aristophane in Concionantibus rideri V. D. affirmet, acute quidem ex communi hoc fonte explicat utriusque operis similitudinem; videntur tamen haud ita levia obstare, quominus cum ipso facimus.

Verum enim vero, ut taceam et hoc non facile aliquem comprehendere, quo jure et pacto reipublicae constitutio describi potuerit in Protagorae Antilogicis, libro, ut videtur, mere dialectico ([1]): neque hoc etiam credibile videri, argumentum fabu-

([1]) Quid proprie fuerint verborum illae controversiae, quibus Sophistae studerent in utramque partem de quovis argumento disceptare, inter omnes constat: cf. Plat. *Soph.* p. 232, B. c. Schleierm.; *Reip.* VII, p. 539 B, sqq.; *Phaed.* p. 90, C sq.; *Euthyd.* p. 286; *Cratyl.* p. 429; *Lysid.* p. 216, A. sqq. etc. etc. Magis jam simile argumentum congruum fuerit cum libro Protagorae π. πολιτείας, qui nominatur a Diog. L. IX, 55, cll. Suid. s. v. *Πρ.*; sed in hoc etiam libro crediderim Sophistam exposuisse praecepta capessendae administrandaeque reipublicae, quam artem se docere non semel ja ap. Platonem (v. *Protag.* p. 318, B. 319; cll. *Reip.* X, p. 600, D. etc.), non de nova civitate condenda disseruisse; quamvis dicitur Thuriis leges tulisse: Laert. IX, 50. Praepropere Heusde *Init.* p. 395: «*Dicitur adeo* [Plato], *nec temere profecto, Politiam scribens, e Protagorae Politia multum profecisse.*»

lae Aristophaneae versari in sugillando Sophista Abderita, qui jam ante XX fere annos e vita cesserat ([1]); ut, inquam, hoc taceam, Politia ita est Platoni propria et sua, ut ea Philosopho nostro subtracta, ipsum profecto e medio sustuleris. Et quo tandem animo Plato condiverit praestantissimum opus commentis Sophistae, quem et alibi ipse acerbissime persecutus est, et in Politia etiam pupugit (*Reip.* X, 600, C sq.)? Quinimo, non contentus alienum expilasse penum, ad cumulandam quasi impudentiam, maxima verborum industria et tergiversatione pro novis ac nunquam auditis vendiderit ea, de quibus et Socrates jam edoctus esse potuisset, et quae in scena derisa consputaque fuissent? Quo consilio tacuerit Philosophus de vehementissima hac gravissimorum Civitatis suae institutorum derisione, qui angatur de levioribus quibusdam scitis suis, ne ea lepidis homuncionibus, utpote insolita, cachinnum moveant? cf. *Reip.* V, p. 452, B. C; cll. 457, A, B.

Dixerit quidem aliquis, Nostrum a Protagora mutuo sumpsisse solam illam possessionum et mulierum communionem, quam Aristophanes quoque ridet; sed institutum hoc tam arcte ex

([1]) Obiit Protagoras a. 410 a Chr. v. Clint. *F. H.* p. 377; K. Hermann. in Zimmermanni *Zeitschr. f. d. Alterth.* 1834, p. 285, sqq. Id. *Ph. Pl* p. 48. Cf. Arist. *Eccl.* v. 577 sqq.: μήτε δεδραμένα μήτ᾽ εἰρημένα πω πρότερον. Prima verba ejusdem chori, quibus Morgensternius Platonem respici suspicatur, in praesentem causam minus valent si conferantur ex. gr. cum initio chori *Acharn.* v. 971, sqq.; *Thesmoph.* v. 434, sqq. *Pac.* 1027, sqq.; *Vesp.* 644, sqq. etc.

ipsa, ut ita dicam, Politiae medulla ac visceribus pendet (v. Rettig. l. l. p. 153; 183 sq.), ut pro insiticio aliquo indifferentique additamento nullo quidem pacto dari possit. Atque etiam Aristoteles luculentissimis verbis idem institutum retulit ad Platonem solum auctorem, nullo alio ejusdem rei inventore nominato. «*Sunt vero,* inquit Aristot. *Polit.* II, 7 init., *et aliae quaedam respublicae tum idiotarum, tum philosophorum et in administratione ipsarum versatorum. Omnes autem hae propinquiores sunt illis, secundum quas nunc regunt, quam istae duae* [Politia nempe et Leges]. *nullus enim neque de communitate filiorum, neque de mulieribus talem aliquam introduxit novitatem neque etiam de foeminarum commessationibus, sed a necessariis magis inchoant.*» Cf. quae s. f. ejusdem libri (II, 12.) dicit: «*Charondae nihil est proprium, nisi judicia falsorum testium ..... Philolai proprium est patrimoniorum disparitas: Platonis autem mulierum et natorum et patrimoniorum communitas, et comessationes foeminarum.*» .... Atque per totam etiam antiquitatem Platonis respublica istis paradoxis quasi certissima aliqua nota indicabatur: Cf. Laert. VII, 33; Athen. XI, 509, B. etc.

Attamen quid tandem faciamus cum testimonio isto Aristoxeni, hominis haud sane spernendi ([1])? *Ἴττω Ζεύς,* ut ait

([1]) Ceteroquin Aristoxenus non liber est a suspicione invidiae erga Socratem: v. Laert. II, 19. 20; cll. Meiners *Gesch. d. Wissensch.* T. I, p. 216, sqq.; quocirca de Platone etiam haud aequus judex fuerit.

Thessalus. Fortasse significavit Aristoxenus, altercationem illam *de justitia,* ex qua Plato totam de Republica quaestionem suspenderat, conscriptam esse ad praecepta Contradictionum Protagorae, qui *primus*, ut loquar cum Seneca *Ep.* LXXXVIII, s. f. *de omni re in utramque partem disputari posse ex aequo* docuit ([1]). Quinimo laudes illae et vituperationes justitiae desumtae fortasse sunt integrae ex Antilogicis Sophistae, ad ipsum videlicet propriis armis confundendum ([2]). Hoc itaque sensu dixerit Aristoxenus universos fere sermones de justitia *ἐν τοῖς Πρωταγόρου γεγράφθαι ἀντιλογικοῖς.* Quod postea male feriati furtorum investigatores et aucupes, qui Platoni non defuerunt ([3]), eo avidius in totam Politiam transtulerint, quod altera inscriptio hujus operis *De Justitia* est. At

([1]) V. Eudox. ap. Steph. Byz. in *Ἄβδηρα*; Laert. IX, 52. 53; Schol. ad *Arist. Nub.* V. 112; Aul. Gell. *N. A.* V, 3. *A.* Antilogicam rationem disputationis suae de justitia ipse Plato descripsit *Reip.* I, p. 348, A. Cf. Hermann. *Pl. Ph.* p. 694. n. 672.

([2]) Protagoram praecepta sua Contradictionum exemplis comprobasse, inter quae fieri non potuit, ut uberrimum de justitia locum non tangeret, concludi potest vel ex Plat. *Soph.* p. 232 Cf. Cic. *Brut.* 12: «*scriptas fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quae nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, cum singularium rerum laudes vituperationesque conscripsisset. quod judicaret hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando vituperandoque rursus affligere*».

([3]) Cf. Theopomp. ap. *Athen.* p. 508, C; Euseb. *Praep. Ev.* X, 3. cet. Cum iis, quae nos de exspoliato Protagora diximus, cf. Tennemann. *Syst. d. Pl. Ph.* T. I, p. 91, sq, cujus verba egregie sententiam nostram comprobant.

per se intelligitur, Platonem eo nomine non magis furti esse criminandum, quam quod in *Theaeteto* dialogo ejusdem Protagorae *Veritatem* in suum videatur convertisse usum; aut quod in *Phaedro* et *Menexeno* Lysiae inseruerit orationem, aut in suo *Convivio* Xenophontis Symposium haud semel expresserit, aut denique, quod ad *Timaeum* componendum Philolai compilaverit scrinia, ad *Critiam* vero Solonis.

Sic itaque per disputationis anfractus eo pervenimus, ut nobis persuaderemus, primam Politiae editionem, sive priores Operis partes duas, removendam esse sub primum Philosophi in Siciliam adventum. Ultimam librorum de Republica portionem adjectam fuisse reliquo corpori eo tempore, quando *Timaeus* compositus fuerit, nulli dubitamus. Timaeum vero ad postrema Platonis opera esse referendum, probabilibus argumentis ratiocinati nos esse nobis videmur. Sed jam claudendi rivuli: nam sat superque prata biberunt.

N. B. P. I, n. 1, 3 *l. a. f.* «item Zeno» *dele; extremas vero duas ejusdem notae lineas sic l.*: Aenesidemi sententiam respexit Phot., Platonis vero Laert. *IX,* 72. — *Cetera sive typothethae sive auctoris vitia haud invidiosus lector ipse tacite corriget.*

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Tripartitam philosophiae divisionem perperam ad Platonem jam referri auctorem.

II.

Platonem in perfectissima republica constituenda de tyrannide cogitasse.

III.

Librum *De Legibus* conscriptum esse a Platone ante obitum *Dionis Syracusani*=Olymp. CVI, 3.

IV.

Testimonio Theophrasti ap. Plutarch. *Quaest. Plat.* VIII, 1, evinci *Timaeum* dialogum ad posteriora Philosophi scripta pertinere, idque aliis etiam argumentis probari posse.

V.

Falli eos veterum, qui negent Platone judice terram moveri.

VI.

Aristophanem in *Nubibus* potius, quam in *Cocionantibus* exagitasse Protagorae Sophistae *Contradictiones*.

VII.

Minime secum pugnare Ciceronem, qui cum in epistola ad Lentulum (*Ep. Fam.* I, 9, 23.) dicat sese tres *De Oratore*

libros Aristoteleo more composuisse, ad Atticum scribens (*Ep. ad Att.* XIII, 19.) neget eosdem libros Ἀριστοτέλειον morem habere.

VIII.

Ciceronem, qui in celebrando Platone tantopere sibi placuit, Platonem non intellexisse.

IX.

Probum esse verbum Sallustii: *falso queri genus humanum de natura sua.*

X.

Et in re et in verbo peccare, qui litterarum antiquarum studium «*humaniora*» dicant.

XI.

Ut exordium, sic etiam exitum ingenuae philosophiae in Socratico «*nil scio*» esse ponendum.

XII.

Tantum abesse ut *rationalis*, quae dicitur, Psychologia *empiricam* Psychologiam excludere debeat, ut etiam ea nequaquam carere possit.